JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

MARINI GUARANI

IN UNIVERSITATE NEAPOLITANA

J U R I S   C I V I L I S

PRIMARII PROFESSORIS

J U S   F E U D A L E

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

T O M U S   I.

Feudorum τα πρωτα *continens.*



N E A P O L I   MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Cum publica venia.

INDEX TITULORUM,

Qui in primo tomo continentur.

INTRODUCTIO. pag. 1
CAP.I. *De prima feudorum origine, eorumque veluti lineamentis.* 4
II. *De feudorum adolescentia, ac virilis ætatis maturitate.* 10
III. *De feudorum migratione in Italiam.* 41
IV. *De feudorum illatione in Regnum Neapolitanum, ac Siculum.* 51

LIBER I.

TIT.I. *De collectione juris feudalis communis, ejusque receptione apud Neapolitanos, ac Siculos.* 59
II. *De feudorum rectorum essentia, & contractibus feudo affinibus.* 82
III.

III. *De diversis feudorum divisionibus ex jure Neapolitano, ac Siculo præsertim desumi solitis.* 93
IV. *De diversis feudorum speciebus ex jure Neapolitano, ac Siculo.* 131
V. *De rebus, quæ in feudum dari possunt, & ipsa feudorum investitura.* 150
VI. *De feudorum præscriptione.* 173
VII. *De baronum baliatu, & nuptiis.* 185

Vi-

Viro · Incomparabili · Marchioni · Xaverio · Simonettae · Publici · Privatique · Juris · Scientia · Et · Vſu · Peritiſſimo · Ex · Gente · Apud · Bruttios · Vetuſtiſſima · Prima · Totius Agnationis · Origine · Et · Qua . Belli · Domique · Clariſſimi · Ipſi · Simonettae · Mediolanenſes · Prognati Cum · Ob · Fidem · Conſtantiam . Sanctimoniam · In · Vrbanis · Magiſtratibus · Feliciſſimo · Ferdinando · Adprobatam · Cum · Ob · Res · Praeclare Geſtas · In · Sicilienſi · Praetura · Intermortua · Majeſtatis · Jura · Redintegrando · Periclitantem · Oppidanorum Libertatem · Tuendo · Ac · Raro · Quidem · Exemplo · Fiſci · Rationes · Cum

Po-

Populorum · Utilitate · Conciliando · Apud Optimum · In · Europa · Principum · Libellos · Agenti · Marinus · Guaranus Feudorum · Τα · Πρωτα · Venerabundus.

IN:

INTRODUCTIO

IN FEUDORUM HISTORIAM.

IMperio Romano labante, inter Occidentis concussi motus Franci, relicto Germaniæ natali solo, uberiores Galliarum provincias occuparunt. Eorum opera institutum feudorum evaluit, quod primum Gallias ipsas, deinde reliquas Occidentis provincias late pervasit. Id victoribus suaserunt partim patrii ipsorum mores, partim regiones bello partas nova regendi ratio. Quaqua de causa id factum, his quidem initiis feudale regimen serius ocius in omnes ferme Europæ provincias, & in ipsum Regnum Neapolitanum, ac Siculum fuit invectum. Id bono, an malo mortalium fato, pro tuenda, an dissol-

venda Civitate, pro munimento, an calamitate Principum invaluerit, haud facile definieris. Tantum constat, feudis in Europa receptis, populorum commodis male consultum, & immensa prædiorum spatia paucarum familiarum hereditatem evasisse; eas igitur patrimonium non minus fisci, quam privatorum vorasse. Sed eam in rem summa potestas inquirito. Nos ipsam disciplinam feudalem enucleabimus, argumentum discors sententiis, opimum in foro jurgiis, &, quod mirum in Regno tot feudis laborante, non satis hactenus ad captum adolescentum expositum. Mirum etiam magis, in tanta hodiè literarum luce de prima feudorum origine non omnino liquere. Sane ejus rei difficultatem inculcaturus ille feudorum primordia comparat cum annosa quercu, cujus folia, rami, truncus procul appareant, lateant tamen radices alta sub terra depres-

pressæ. Prænotiones tamen id genus & materiæ ipsius intellectum præstant evidentiorem, & in ipsis rerum articulis summa rationum momenta inde licet haurire. Quapropter ut apte destinata componam, antequam ad sacraria juris feudalis accedam, primo ipsa feudorum incunabula, eorumque prima veluti lineamenta ex suo natali solo exhibebo. Deinde ipsorum adolescentiam, ac virilis veluti ætatis maturitatem alio sub Cælo partam investigabo. Denique de eorum migratione in Italiam, atque in Regnum Neapolitanum, ac Siculum sermonem instituam.

EXERCITATIO HISTORICA

CAPUT I.

De prima feudorum origine, eorumque veluti lineamentis.

QUod ad primam feudorum originem, tot, ac tam diversæ sententiæ circumferuntur, ut fastidium lectorum facile excirem, si eas omnes proferre vellem. Alii scilicet a Romanorum clientibus, alii a militibus imperii fines tuentibus; alii a prædiis stipendiariis eam repetendam censuerunt. Eorum error inde manavit, quod pro more superioris sæculi originem institutorum omnium in unis libris Romani juris quæsiverunt. In eo autem argumento adeo desipuere quidam, ut feuda cum ipsis mortalibus statim exorta crederent, eis-

eisque originem dedisse eos, qui primum in alios imperium usurparunt. Ejus notæ est Joannes Niellius *in disputat. feudal. c. 1. th. 1.* Non mirum igitur, si idem Persarum Satrapas, tamquam barones, in scenam producat. Miror magis, cur non & Artaxersem apud eosdem Persas feudorum auctorem is fecerit. Constat enim, eum Themistocli tres Civitates donasse, ut alia vinum, alia obsonium, alia panem præberet Nep. *in Themistocl. n.* 10. Sed ejus gregis cum alios, cum Niellium ipsum late refellit Georg. Christian. Gabaver. *in dissert. de feud. origin.* Sane si quarum in Gentium institutis aliquid ad feudi naturam accedens inveniatur, non inde illatum oportuit, eas feuda primum instituisse.

II. Ut igitur decerni possit de feudorum primordiis, & ubi Gentium eorum veluti lineamenta constitui oporteat, il-

lud ſtatuendum in primis, in Francorum hiſtoria primam feudorum mentionem occurrere; ut recte ſtatuit Ericus Mauritius *in corollar.7. ad diſſertat. de princip. jur. publ. German.* Ipſi autem dupondii non ignorant; Francos Germaniæ populos ſub Merovei nepote Clodoveo inter Francorum reges primum fidem amplexo Galliarum provinciis ferme omnibus fuiſſe potitos Gregor. Turonenſ. *hiſtor. Francor. libr.* 2. Inſequenti quoque capite liquebit; per Francos ipſos in Galliam feudorum inſtitutum invectum. Si igitur vicerimus, apud Germanos veteres prima lineamenta feudorum occurrere, inde recte inferemus; feudorum incunabula apud ipſos Germanos; ſeu Francos quæri oportere; per eoſdem autem adoleſcentiam, ac virilis veluti ætatis maturitatem feuda primum in ipſa Gallia, deinde in pleriſque Europæ provinciis accepiſſe.

III.

III. Jam vero ut eo perveniamus, primum omnium illud exploratissimum poni debet; feuda ab initio olim veluti militiæ stipendium inventa fuisse, & quibus arctiori fidei vinculo barones ergà Principes astringerentur; feuda etiam duplex in barone servitium complexa esse alterum belli, alterum domi præstari solitum. Ut enim alibi opportune liquebit, in pace barones inter feudorum incolas juri dicundo præerant; belli vero tempore signa Principum sequebantur. Si igitur ostenderimus, eadem ferme instituta apud veteres Germanos olim obtinuisse, una veluti fidelia duos parietes dealbabimus. Inde enim constabit, & Germanos, seu Francos in suo natali solo prima veluti fundamenta feudorum jecisse, eorumque opera, Galliis debellatis, feuda primum apud Gallos instituta fuisse, deinde in alias Europæ provincias commigrasse.

IV. Politicam veterum Germanorum constitutionem servarunt nobis duo antiquitatis lumina Cæsar, ac Tacitus, brevius ille *de bell. Gall. libr. 6. c.6.* latius hic in quantivis pretii libro *de morib. German.* Ex utroque constat, acriori belli studio Germanos olim accensos; permultos apud eos fuisse, quos ii *principes* appellant, qui unice militiam profiterentur; perpetuo eos fortissimorum juvenum globo circumdatos, quos designant vocabulo *comitum;* horum præcipuum sacramentum fuisse principes tueri, defendere, quorum essent in pace decus, in bello præsidium; munificentiam principes erga comites exercere solitos per raptus, & bella; inter contemtum, ignorationemve pecuniæ pro stipendio comitum epulas, ac largos apparatus cessisse Cæs. *loc. cit.* & Tacit. *de morib. German. c.* 13. *& sequ.* Addit ibidem Cæsar, nullum apud eos in pace com-

communem fuisse magistratum; principes regionum, atque pagorum jus inter suos dixisse. Habes igitur apud utrumque scriptorem jam vagientium baronum fidem, & pro feudis qualecumque stipendium, ac duplex illud servitium belli, domique olim a baronibus præstari solitum. Proinde, ni fallor, evicisse videor, prima feudorum incunabula trans Hercyniam silvam, atque apud veterum Germanorum sedes quæri oportere. Sed videamus, quo rerum humanarum orbe in aliud Cælum feuda delata fuerint, & quibus initiis adolescentiam, ac virilis veluti ætatis maturitatem in alia parte terrarum acceperint.

CAPUT II.

De feudorum adolescentia, ac virilis veluti ætatis maturitate.

IN extantibus orbis terrarum fastis duas potissimum rerum humanarum vicissitudines admirari licet. Earum altera per valescentis imperii Romani incrementa se prodit, altera per ejus occasum. In utraque fluxus veluti, ac refluxus populorum apparet ad Septentrionis latebras aufugientium, vel ultra notos fines in meridiem remeantium. Nimirum ubi transgressæ sunt Alpes victrices Romuli legiones, Germaniæ plerique populi avitæ libertatis avidiores in remotioribus Septemtrionis spatiis incolatum sibi quæsiverunt. Iidem tamen jam fluxam Romanorum potentiam respicientes, ac suas vires spectantes aggre-

grediendo jam pares non tantum in veteres suas sedes, sed & in ipsas Romanorum provincias irruperunt. Eorum autem incursionibus Occidentis imperium varie vexatum, afflictum sub Augustulo finem accepit anno ferme Christi 476. Scilicet, inauspicatissima imperii divisione facta per Constantinum, ab Orientis quidem provinciis cum militum robore, cum natura loci munitis barbari e Septemtrione incursantes facillime propulsari poterant: Nam & in defectu navium difficile erat Bosphorum Cimmerium transgredi; eumque si transfretassent, milites ad tuendam Constantinopolim excubantes eos facile arcuissent. Iidem tamen per Occidentis provincias pridem infirmiores impune grassari poterant. Ita primum Faramundus, pluribus Galliarum provinciis debellatis, initium Regno Francorum apud Gallos fecit anno ferme Christi 417. Post longam annorum

feriem ei in Regno successit Clodoveus Regis Childerici filius, Merovei nepos. Inde prima stirps Regum Francorum in Galliis *Merovingiorum* est appellata. Inter reges autem Merovingios maximam nominis celebritatem Clodoveus est consequutus. Nam reliquorum barbarorum ducibus debellatis, & ipso Alarico Wisigothorum per Galliam rege cæso, omnes ferme Galliarum provincias in suam potestatem redegit, ac primus ad Alpes usque Regnum Francorum extendit. Conf. Gregor. Turonens. *in histor. Francor. libr-* 2. Ex stirpe Merovingiorum igitur feudorum aut adolescentia, aut saltem primordia repeti in Europa debent.

II. His ita præstitutis, ut, quæ dicturi sumus, rectius intelligantur, paucis prænarrandum censeo, quem modum Franci Reges sequuti fuerint seu in devictarum regionum prædiis dividundis,

seu

ſeu in novarum provinciarum regimine ordinando. Ea autem in re edico, prædico, Francorum vocabulo hic ſingularem Germanorum Gentem non deſignari. Recte enim advertunt horum myſteriorum periti viri, Francorum vocem complecti omnes ferme Germaniæ incolas; Francos in primæva ſua notione *fœderatos* ſignificare; eo igitur vocabulo contineri omnes Germanorum Gentes, quæ fœdere inter ſe inito libertatem ſuam adverſus Romanos tuendam ſuſcepiſſent. Conf. Paul. Cancian. *in barbar. leg. antiqu. in monit. ad leg. Salic.* Francorum igitur vocabulo non tantum Salicos, ſed & Burgundiones, Ripuarios, Bajuvarios, & id genus alios generatim intellige. Id monitum quidem oportuit, ne quis nobis vitio vertat, ſi quando ad confirmanda Francorum inſtituta non tantum Salicas, ſed & Burgundionum, Ripuariorum, alio-
rum-

rumve Germanorum leges hic producamus.

III. Quod ad prædiorum divisionem in Galliarum provinciis, a veteri Germanorum instituto recessere Franci. Nimirum Germani veteres in patriis sedibus agros proprios non habebant. Magistratus, aut principes in annos singulos cognationibus hominum quantum agri eis, & quo loco videretur, tribuebant, atque anno post alio transire cogebant Cæs. *de bell. Gall. libr. 6. c. 6.* Id placuisse ibidem is addit, ne assidua consuetudine capti studium belli agricultura commutarent, ne latiores fines parare studerent, neu inter ipsos oriretur pecuniæ cupiditas. Id ipsum commodis ex agrorum cultura alibi redire solitis non officiebat, cum major pars victus eorum, ut scribit Cæsar, in lacte, & carne consisteret: latissima autem prædiorum spatia gregibus, & ar-

armentis defutura non erant præfertim in incolarum non adeo numerofa frequentia.

IV. Enimvero vetus hoc Francorum inftitutum in tanto Gallorum, & advenarum numero novi principatus ratio fervari non patiebatur. Igitur victoribus expedire vifum proprietatem prædiorum inftitui. Ea *alode*, vel *alodium* dicta fuit, quia per fortem cuique certæ prædiorum partes obveniebant. Nam, ut obfervat Vachterus, alodium in veteri Germanorum lingua prædium forte obtentum defignat *in gloffar. German. voc. alodium*. Id non tantum evincunt exempla ibi a Vachtero, & a Ducangio producta *in voc. fors*, fed & Francorum vetufti mores in dividendis inter victores ipfis rebus mobilibus ab hofte captis. Narrat enim Gregorius Turonenfis *hiftor. Franc. libr.* 11. *c.*27. direptis Ecclefiæ cujufdam rebus per Franco-

rum

rum exercitum, a Clodoveo vas quoddam eximium frustra Episcopum postulasse. Is enim licet desiderio Episcopi indulgere vellet, ferocior inter commilitones quidam, coram Principe securi diffracto vase, audacius occlamavit, nil inde quempiam habiturum, ultra quam ei sors tribuisset. Neque vero Franci Galliarum colonos avitis prædiis omnino privarunt, iisque modestiores, rebus jam pacatis, se præstiterunt. Franci scilicet armentis, & gregibus, Galli agrorum culturæ studebant. Montana pabulis aptiora; plana utilius cultura exercentur. Hinc bessem quidem sibi prædiorum Franci; sed in montibus retinuerunt; reliquum trientem in planitiis reliquere victis. Res aperte liquet ex legibus Burgundionum *tit.* 54. §. 1.

V. Porro in partiundis agris non privatis tantum, sed, ratione novi principatus ita suadente, maximam quoque partem

tem Regi concessa fuere prædia, quorum cultura per servos glebæ addictos exercebatur. Constat scilicet, veteres Francos impatientes tributorum fuisse. Indignum enim Germano nomine videbatur tributis negligi, ac publicanis atteri. Aliunde principes comitatum suum vi, belloque tuebantur, & in bellorum defectu materia beneficentiæ raptus erat Tacit. *de morib. German.* 14. Ita nusquam apud eos jugatio, capitatio. Patrios mores in Gallias intulere victores, neque ab ingenuis species, pecuniamve annuam expectabat fiscus. Census quidem in fiscum inferri solitus in legibus Francorum occurrit; recte tamen advertit Montesquieus, ejusmodi functiones ad servos tantum, aut glebæ addictos pertinuisse *espr. des loix livr.* 33. *c.* 14. *& sequent.* Id ipsum, si res flagitaret, facile evinci posset ex Marculfi formulis præsertim ex *libr.* 1. *formul.*

19. Ipsa igitur ratio novi Principatus suasit, ut & prædiorum pars longe maxima penes Principem esset, qua & munificentiam erga milites exercere, & dignitatem suam tueri posset. Quapropter ex prædiis Principi in divisione relictis potissimi fisci reditus. Indidem, ut infra liquebit, & feudorum primordia. Nunc videamus, quo Franci modo devictarum in Gallia regionum regimen ordinarint. Inde enim potissimum recta feudorum intelligentia pendet.

VI. Quod igitur ad regimen in debellatis regionibus institutum, ea in re a patriis suis moribus Franci non recesserunt. Nimirum apud Germanos olim præter Regem principes complures erant, qui comitibus suis stipati operam bello navabant. Eos appellat Tacitus *in pace decus, in bello præsidium de morib. German.* 13. Principes igitur eos ipsos esse oportuit, qui, ut Tacitus scribit *loc. cit.*

cit. jus per vicos, ac pagos reddebant. Magistratus quidem juri dicundo in publicis Gentis conciliis eligi solitos tradit ibidem Tacitus. Facile tamen mihi persuaserim, in bellicoso populo judices in comitiis fuisse renunciatos eos ipsos, qui armis inclaruissent. Ex eodem Tacito constat, nusquam apud Germanos fuisse generale litium auditorium. Ut discreti ipsi, ac diversi habitabant, ita diversis in locis, ubi res postularet, jus dicebatur. Iidem igitur principes & bello, & paci præerant controversias dirimentes. Hoc autem institutum non civibus tantum, sed & Regi proderat. Nam ex judiciis quoque maxima in Regem redibat utilitas. Siquidem in delictis in ferociori populo frequentibus pars multæ læsis, pars fisco addicebatur Tacit. *loc. cit.* Ex patriis etiam Germanorum fortasse moribus *fredum* partim in ipsorum princi-

pum usum, partim in fiscum cedebat. Vide *leg. Salic. reformat. tit.* 52. Erat autem fredum veluti publicæ tutelæ pretium reis præstari solitæ, ne a læsis, eorumve cognatis nondum conciliatis vim paterentur. Sed ea de re latius alibi.

VII. Porro Galliarum provinciis potiti Franci in novo suo regimine constitutionem omnino militarem elegerunt parati semper aut aggredientes hostes arcere, aut incolas rebellantes ulcisci. Nam in barbarorum incursionibus per quintum, ac sextum sæculum frequentioribus & periculum a novis irruentibus Gentibus imminebat, & ab ipsis debellatis populis metus aderat. Licet igitur in patriis sedibus nulla militandi necessitas Germanis esset, nisi ultro professi forent, ducem aliquem se sequuturos Cæs. *de bell. Gall.* 6. 6. in devictis tamen Galliarum provinciis secus obtinuit, Nam forte agris jure dominii cuique tribu-

butis, necessario arma sumi oportebat, seu defendendum bellum, seu inferendum esset. Si quis expeditionem defugeret, pœna in fiscum inferenda multabatur; quæ *heribannum* dicitur in Francorum legibus. Ita sane Carolus Magnus edixit *capit. libr.* 3. *c.* 67. *Quicumque liber in hoste bannitus fuerit, & venire contemserit, plenum heribannum componat secundum legem Francorum, idest solidos sexaginta.* Id ipsum in prima regum Francorum stirpe servatum fuisse constat ex Gregorio Turonensi *libr.* 5. *c.* 26. Ibi enim Chilpericus *bannos exigi* ab eis jussisse traditur, qui eum adversus hostem sequuti non essent. Exemplum haud absimile de Childeberto narrat idem Gregorius Turonensis *libr.* 7. *c.* 42.

VIII. Enimvero deses illa Francorum in Gallia turba bello profligando non omnino idonea videbatur, si deessent bel-

licosi homines, qui & assidue arma tractarent, & disciplinam militarem callerent. Quemadmodum igitur apud Germanos olim robustiores adolescentes belli studium unice profitentes ducem quisque suum sectabantur Tacit. *de morib. German.* 13. ita in Galliarum provinciis fortissimi quique Franci, qui inter ancipitia claruissent, & quorum vis acrior in hostibus debellandis se commendasset, *beneficia* ea lege sunt consequuti, ut militiam unice profiterentur, & promptiores essent in expeditionem adversus hostes. Ea autem beneficia tractu temporis *feuda* sunt appellata. Ad veterum Francorum beneficia proxime accedunt hodierna Turcarum *timariota*, quæ vocant, a Solimano iisdem ferme de causis instituta. Et ea enim per ipsorum vitam tantum actu militantibus conceduntur, & veterum Francicorum beneficiorum exemplo in heredes non transeunt.

eunt. Quemadmodum etiam timariotorum possessores cum certo militum numero, si bellum ingruat, adversus hostes proficisci debent; ita qui Francica beneficia possidebant olim, cum præscripto hominum numero adversus hostes ire cogebantur. Vide Marculf. *formul.* 47. *apud Lindenbrog.* & Robertson. *in Carol.* 5. *tom.* 2. *not.* 44. Præ ceteris igitur Francis major erat eorum obligatio, qui beneficia consequuti forent. Primo enim, ut vidimus, non tantum ipsi ad militiam adigebantur; sed & certum militum numerum, seu quam Marculfus *loc. cit.* *arimanniam* vocat, eos præstare oportebat. Deinde ob heribannum luenda multa in aliis sexaginta solidos non excedebat; verum heribannus beneficiarii erat amissio beneficii. Eo accedebat, quod, si longior expeditio foret, reliqui Franci expensis ipsius Principis militarent. Verum si de beneficiariis

ageretur, saltem per sex hebdomades de suo ii victitabant, ut constat ex libello *de benefic.* c.1. §.1. Sed ea quidem in re pro diversitate Gentium diversi mores invaluerunt. Ceterum ex dictis inferre licet, recte edixisse Robertsonium *in Carol. V. tom.* 2. *not.* 8. inter reliquos Francos, & beneficiarios discrimen intercessisse. Nam respectu militiæ horum conditio durior erat. Aliunde nisi id admiseris, intelligi nequit, cur Princeps beneficia conferens jure percipiendi fructus ex prædiis privare se vellet, cum beneficiarios nihil ultra præ reliquis præstare oporteret.

IX. Porro qui beneficia a Regibus consequuti forent, parum aberant a veterum Germanorum comitibus, de quibus supra meminimus. Nimirum potissimum apud Germanos olim comitum sacramentum erat, principem suum tueri, defendere, adeo ut turpe, ac probrosum eis esset,

su-

superstitem principi ex acie recessisse Tacit. *de morib. German.* 14. Modo haud absimili, qui beneficia liberalitate Regum obtinuissent, ad fidem optimam maximam erga Regem astringebantur. Eam ob rem in veteribus barbararum Gentium monumentis beneficiarii appellantur *fideles*, *leudes*, *homines in truste Regis*, *antrustiones*, *vassi*, *vassalli*. Nam, ut passim admonent harum rerum periti viri, ea vocabula originitus fidem designant, quam, qui beneficia accepissent, Regi præstare oportebat. Hinc, feudis ad maturitatem suam deductis, barones *vassalli* sunt appellati; licet ob doctorum inscitiam vox isthæc hodie passim accommodari soleat feudorum incolis, ac generatim omnibus, qui baronum jurisdictioni subsunt.

X. Enimvero ad rectam intelligentiam barbaricarum legum præcavendus hic error, in quem impegere complures, & quem

quem ne ipse quidem Montesquieus effugit *espr. des loix livr.* 30. *chap.* 16. Neque enim vassalli omnes ob unam militiam beneficia accipiebant, neque ejusdem generis beneficia erant. Verum est quidem, vassallos ad fidem erga Regem obstrictos, non tamen omnes militiæ armatæ caussa beneficia consequebantur. Vassalli scilicet ab initio sunt appellati, qui in *vassaticum*, seu fidem ac famulatum se Principi commendassent ob beneficium seu acceptum, seu ob bene navatam operam postea accipiendum. Neque enim oportebat ad conditionem vassalli, ut beneficium sub vassatici ingressum acciperet. Vide Murator. *antiquit. Italic. dissert.* 11. §. 3. Vassalli igitur aut apud Principes in ministerio erant, eorumque veluti in togata militia officium aliquod domi exercebant; aut militiam profitebantur. Ita beneficia aut officii *Palatini*, aut *mili-*

tiæ

tiæ causa obtineri solebant. Hinc, feudis ad maturitatem perductis, eorum alia ab officiis, alia a militia originem agnoverunt. Inde vero discrimen inter vassallos *milites*, & *ministeriales*. Vide Gotthelff. Struvium *in histor. jur. feudal.* §. 8. quo misere exscribendo quidam sibi veluti ex mustaceo laureolam quæsiverunt.

XI. At vero præter militiam, & Palatina munera idem Francorum in Gallia regimen aliud beneficiorum genus sua sponte peperit. Nimirum, pacatis Galliarum rebus, magistratus constitutos oportuit, qui, cum bellum ingrueret, collectis sub signa militibus adversus hostes proficiscerentur, domi jus dicerent, reditus suos in fiscum inferri curarent, & generatim caverent, ne novus Principatus quid detrimenti caperet inter infensos. Ita vetus Gentis suæ institutum ferme sequuti Franci in plures *ducatus*, *comitatus*,

rus, *marchionnius* omnes Galliarum provincias diviserunt. Duces in ipsam *regionem*, quæ plures civitates complectebatur, jus dicebant. Comites in singulis plerumque civitatibus, marchiones in oppidis in Regni confinio positis jurisdictionem expediebant. Vicis, & pagis præerant *grafiones*, qui dicebantur. Cum grafiones tamen in parvis oppidulis munia comitum exercerent, comites etiam dictitari solebant. Ita sane qui grafio dicitur *in pact. leg. Salic. tit.* 57. comes appellatur in lege Ripuariorum *tit.* 58. Omnes tamen, quamdiu in demandato ministerio forent, jure beneficii ducatus, comitatus possidebant. Reditus igitur præfecturæ suæ quisque percipiebat, modo ne de rebus ageretur, quarum fructus in fiscum Principis inferri oportebat. Vide Marculfum *libr.* 1. *form.* 8. Ceterum ex dictis intelligere est, beneficia olim, quæ

se-

ſequior ætas feuda appellavit, ab una militia aut armata, aut togata manaſſe. Ad togatam enim militiam referri debent non minus miniſteria Palatina, quam publica munera a ducibus, comitibus, marchionibus, & ipſis grafionibus geri ſolita. Tantum addo, vaſſallos fuiſſe non Regibus tantum, ſed & ipſis ducibus, atque aliis, quibus beneficia conceſſa forent. Ii enim ſi, beneficiis delibatis, eorum partem aliis conceſſiſſent, & ipſi ſibi vaſſallos parabant, ut paſſim liquet ex capitularibus Francorum Regum. Ita vero enata ſuffeuda, de quibus ſuo loco opportune videbimus.

XII. Beneficia autem ab initio non privatum quidem, ſed politicum, ſeu publicum patrimonium conſtituebant. Inde enim, ut vidimus, aulicis, magiſtratibus, militibus ſtipendia præſto erant. Eorum igitur penes leudes nuſquam cer-

ta neque possessio, neque proprietas, & pro regum arbitrio hodie dari, in perendinum adimi poterant: neque enim jus certum possessori dabant. Cum tamen iniquum videretur, ut satam exempli gratia ab alio segetem alius perciperet, ipsa naturalis æquitas paulatim suasit, ne intra anni spatium vassalli beneficio privarentur. Eo pertinet, quod feudalium consuetudinum collector scribit *libr. 1. tit. 1. antiquissimo tempore sic erat in dominorum potestate positum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, ut per annum firmitatem haberent.* Hoc autem institutum & Regibus, & Civitati soluberrimum erat. Ita enim & fortissimi milites conscribi poterant, & beneficiorum amittendorum metus non minus aulica ministeria, quam magistratus, & duces ipsos in officio continebat. Neque putandum, pro ar-

arbitrio Regum munere suo recte fungentibus feuda temere adimi jus fuisse. Cum enim res isthæc politicam ipsam constitutionem, & totius Gentis securitatem afficeret, in ipsis Francorum comitiis fortasse deliberandum erat, queis feuda concedi, queis adimi oporteret. Conf. Montesqu. *espr. des loix livr.* 31. *ch.* 1.

XIII. Enimvero ut optimis profecta initiis instituta, quale mortalium est ingenium, facile corrumpuntur, infinita Regum in beneficiis largiendis, adimendisve facultas occasio injuriarum evasit. Ipsi enim Principes vel fortissimos viros beneficiis exturbabant, vel ea conferebant indignis favore, vel pretio. Ita quidem Mummolus ille comitatum ab ipso Principe sibi coemit Gregor. Turon. *histor. Franc. libr.* 4. *c.* 42. Ea vero facultas non tantum mali moris, sed & in libera Civitate ipsis Principibus infausta, periculosa fuit. Nam ob adem-

pta

pta potissimum beneficia adversus Protarium leudes conjurasse narrat Fredegarius *in chron.* c. 27. neque alia fortasse de causa Brunechildis tot regum mater, filia, soror tam atrox spectaculum sui præbuit. Dorso enim cameli per exercitum circumducta, mox equo indomito alligata, discerpta, furentis vulgi studiis post infelicem exitum concremata traditur. Vide eumd. Fredegar. c. 28. Inde factum, ut insequuti Principes humaniorem adversus vassallos mentem induerent. Nam inter reges Childebertum, & Gunthramnum pacto convento placuit, ne semel concessa beneficia leudibus jus foret adimi Gregor. Turon. *histor. Franc. libr.9.* His igitur initiis eo deventum, ut ad vitam vassallorum usque beneficia producerentur *consuet. feud. libr.* 1. *tit.* 1. §. 1. Sed videamus, quibus de causis beneficiorum concessio apud Francos ulterius producta

ducta

ducta fuerit, eaque ad heredes etiam redire cœperint.

XIV. Eo ut perveniamus, advertendum in primis, Francos in Germania olim Reges ex nobilitate, belli duces ex virtute sumpsisse Tacit. *de morib. German.* 7. Primis fortasse temporibus iidem & Reges, & duces erant præsertim in Gente, cui omnis ex bello nobilitas, & apud quam ingenuos virtus, atque armorum gloria distingueret. Enimvero seu ob novas Galliarum delicias, seu ob belli studium derelictum postremi Merovingii reges imbelles evaserant, ac desides domi torpebant. Hinc vetus Gentis institutum sequuti Franci *majores domus*, quos appellarunt, elegerunt, qui inter Regum desidiam & duces bello præessent, &, prout melius expediret, res publicas domi ordinarent. Ita tota ferme Francorum potentia in majores domus cessit, ac studiis Zacchariæ Ponti-

tificis adjutus Pipinus Caroli Martelli filius, ducis Pipini nepos, alterius Regiæ stirpis auctor, detruso in monasterium Childerico III. Merovingiæ gentis postremo, ad Regnum Francorum pervenit anno ferme Christi 752. Ipsos Pipini parentes, ut sibi, liberisve suis viam ad Regnum faciliorem munirent, vassallorum benevolentiam captare oportebat. Proinde sub ipsis Regibus Merovingiis non tantum ad vitam vassallorum usque concessa sunt beneficia, sed & quibusdam, quorum vires validiores, & opera ad Regnum novis Principibus parandum opportunior videretur, ea lege conferri cœperunt, ut heredibus deferrentur. Eo me primo deducit, quod de Carolo Martello passim prodidere veteres. Is enim ad demerendos militum animos in bonis Ecclesiarum ipsis beneficia constituisse traditur. Id autem necessario factum oportuit. Cum enim

per

per id temporis beneficia heredibus deferrentur, in veterum beneficiorum defectu id tantum ei supererat, ut largiendis Ecclesiarum rebus sibi milites devinciret. Deinde eodem me trahit in formulis suis Marculfus. Is scilicet, ut ad eum ostendit Bignonius, sub postremis Merovingiis vixit, & ad mores ætatis suæ formulas accommodavit. Is vero formulam affert, qua beneficia *perpetualiter* concederentur *libr.* 1. *formul.* 24. Constat igitur, sub ipsis Merovingiis ob eorum infirmitatem perpetuitatem beneficiis accessisse, & heredibus fuisse delata.

XV. At vero delato ad Carolum Magnum rerum arbitrio, is quali ingenio, & virtute fuit, veteribus legibus restitutis, ac vassallis in ordinem redactis, nusquam vim Principatus resolvit beneficiis in perpetuum largiendis. Sane ex ejus ætatis monumentis evinci non

potest, ejusmodi concessionibus tantæ prudentiæ Principem publicum patrimonium discerpsisse. Enimvero eo prognati Carolincii Reges parentis virtutem non retulerunt. Hinc inter res domi turbidas ipse Ludovicus Pius statim a patris obitu rursus beneficia in perpetuum, & in liberos transitura conferre cœpit. Vide Robertson. *in Carlol. V. tom. 2. not.* 8. Interea inter Principum Carolinciorum jam labantem fortunam valescebant in dies vassallorum vires, eoque redactæ res tandem, ut potentatu suo barones quidvis a Principibus extorquere possent. Ita Carolus Calvus ad sustentandum Principatum, ac defensores sibi parandos generatim cavit, ut filii non tantum in beneficiis, sed, quod perniciosissimum Principatui fuit, in comitatus quoque succederent. Vim enim Principatus magis comitatuum, quam beneficiorum successio resolvere videbatur. Vide de tota re

Caroli Calvi. capitula apud Carisiacum *ann.* 877. His initiis apud Francos publica comitum munera, quod ad successionem, nudis beneficiis sunt æquata. Ita vero viribus vassallorum auctis, unde minime metuendum videbatur, per barones bis in Gallia oppressi Reges: primo scilicet per Pipinum, qui utpote major domus in munere Regni maximo constitutus Childericum III. in monasterium ablegavit: deinde per Hugonem Capetum, qui baronum maximus, melioribus quidem auspiciis, consensu procerum renunciatus rex fuit anno 987. Quo sane facinore Francorum Regnum fuit ademptum Carolo Lotharingiæ duci, ad quem, utpote patruum Ludovici V. sine liberis vita functi, proximæ agnationis jure Principatum in Gallias deferri oportebat. Ita Hugonem Capetum tertia stirps regum Francorum auctorem habuit inter regnatrices Europæ

familias vetustissima, & cui nos perpetuitatem bono mortalium adprecamur.

XVI. Antequam postrema fata feudorum sistamus, utile fuerit advertere, omnem ferme Germaniam in Caroli Magni potestatem venisse; igitur in eam quoque primum beneficia, deinde & feuda migrasse. Subductis tamen rationibus, facile intelligetur, primævam beneficiorum naturam diutius in Germania, quam in Galliis fuisse servatam. Nimirum nono vertente sæculo, ut vidimus, in Galliis beneficia per Caroli Calvi legem heredibus delata jam fuerant. Verum apud Germanos & sub Carolinciis ea ad heredes non redibant, & ubi, apud eos deficiente Caroli Magni virili stirpe, Germaniæ Regnum sub Carolo Simplici ad Conradum, & Henricum I. alienæ agnationis homines devenit, in beneficia heredes non succedebant. Id in Germania factum, quia inibi Principes

Nort-

Nortmannorum incursionibus minus accisi validiores erant, ac baronum seu preces, seu molimina contemnere impune poterant. His ferme causis facile rationem reddes, cur apud Germanos ad undecimi sæculi initium usque heredibus beneficia delata non fuerint. Primum Conradus II. anno 1037. ut rationes init Muratorius *in annal. Ital.* ad devinciendos sibi baronum animos militum liberis beneficia deferri jussit *consuet. feudal. libr.* 1. *tit.* 1. §. 2. Inde autem inferre licet, Imperatorum in Occidente potentiam per id temporis decollare cœpisse, eosque a Carolo Calvo haud absimilem subiisse fortunam. Inficias tamen haud iverim, Caroli Calvi vires præ Conrado imbecilliores fuisse. Siquidem Carolus Calvus eo imbecillitatis venerat, ut non minus in beneficiis, quam in comitatibus, & publicis muneribus baronum liberos ad successio-

nem admitteret. Verum Conradus barones haud æque metuens tantum in beneficiis succeſsioni locum patere juſſit, non vero in comitatibus, ac reliquis publicis muneribus, ut ex producto loco conſuetudinum feudalium liquet. Ceterum cum in capitularibus Caroli Calvi de feudorum perpetuitate ſcriptis ducatuum mentio nulla fieret, per ejus fortaſſe tempora ducum liberi ſine Regis aſſenſu ad eorum ſucceſsionem non admittebantur. Verum ſecundæ ſtirpis potentia in dies labante, ſub Carolo Simplici infirmiſsimo Principe ducatus etiam generatim ad liberos redire cœperunt. Vide Marcum Zuerium Buxhornium *hiſtor. univerſ. pag.* 528. *ad ann.* 888. & A. Struvium *ſyntagm. jur. feudal. c.* 1. *aphor.* 1. Sed, his omiſsis, inveſtigemus, quibus initiis primum in Italiam, deinde in Regnum Neapolitanum, ac Siculum feuda migraverint.

CA-

CAPUT III.

De feudorum migratione in Italiam.

UT de feudorum illatione in Italiam, atque in Regnum Neapolitanum, ac Siculum decerni possit, ipsum Longobardorum in Italia regimen paucis est prænarrandum. Ea in re primum omnium satis constat, Longobardorum vocabulo non tantum intelligi Longobardos origine, sed & Saxones, Gepidas, aliosque Septemtrionis incolas, qui Alboinum ducem sequuti novas sedes in beatiori Italiæ Cælo sibi quæsiverunt. Neque enim aliter intelligere licet, cur post Longobardorum adventum tot diversæ leges in Italia obtinuerint. Constat etiam, Alboinum a Narsete accitum sub Justino II. relicto Pannoniæ truci Cælo, subactis plerisque

que Italiæ regionibus, & Græcis ferme devictis, initium apud Italos Regno Longobardorum fecisse anno Christi 569. Paul. Diacon. *libr.2. c. 26.* Ubi Ticino potitus est Alboinus, eum leges ferre saltem oportuit de politica constitutione regionum bello partarum. Eas igitur exemplo Longini fortasse potissimum ducibus parere jussit. Sane narrat idem Paulus Diaconus, post Clephis obitum, qui Alboino in Regno successit, per ipsum decennium Longobardos sub imperio ducum agere maluisse, atque ad sex supra triginta eorum pertigisse numerum *d. lib. 2. c. 32.* Idem memoriæ prodit, ob diutinum illud interregnum Longobardorum potentia declinante, ad res restituendas communi Gentis consensu Regem cooptatum Autharim Clephi prognatum; ad munimentum etiam Principatus redituum ex ducatibus percipiendorum dimidium duces reliquisse Regi,

di-

dimidium sibi retinuisse *lib. 3. c. 16.* Inficias quoque iri non potest, per interregni tempus summi imperii jure quidem ducatus suos habuisse duces, statim tamen post electionem Autharis eos in ordinem fuisse redactos, ac jure veluti magistratus, quamdiu adviverent, ducatum quemque suum administrasse. Id vel inde probes, quod post ducum obitum ducatus liberis non deferrentur. Quin, cum ii fortasse Regi obnoxii videri nollent, Autharim insequuti Reges, suspecto ducum instituto paulatim abolito, in ipsorum locum comites suffecerunt, qui modum suæ potestatis nossent, & Regibus magis obnoxii forent. Hinc intelliges, cur post Luitprandi obitum ex ducibus sex supra triginta vix sex superfuerint Paul. Diacon. *d. libr. 3. c. 16.* Sed & haud multo post Luitprandi excessum duces vix duos trans Tiberim invenire licet, ut videtur evicisse Pe-

re-

regrinus *in differtat. 2. de duc. Benevent.* Duces autem, iisque suffecti comites jure magistratus sui omnimodam jurisdictionem in suo quisque territorio expediebant. Nam, quod ad minutulas summas, & leviora delicta, judicabant *sculteti*, quos Longobardi appellarunt, iique in vicis, & parvis oppidulis jus dicebant. Conf. Murator. *in differt. 10. antiquit. Italic.*

II. Porro in novo Italiæ Principatu Gothorum exemplum fortasse sequuti Longobardi summo jure belli se abstinentes prædia sibi cum Italis diviserunt. Conf. Montesqu. *espr. des loix livr. 3. chap. 6.* In partem igitur quisque suam æque cum Italis victores admissi. In prædiorum divisione ea lex dicta, ut, seu inferendum bellum, seu defendendum esset, æque cum Longobardis Itali ad militiæ onus adigerentur. Proinde a militia, ubi res flagitaret, nullus sub Longo-

gobardis erat immunis. Si quis cessaret, ubi ad numeros evocatus foret, viginti solidos damnas erat in fiscum inferre *leg. Longobard. libr.* 1. *tit.* 14. §. 6. Longobardorum igitur in Italia institutum a Francis longe diversum. Neque enim usquam in Italia Longobardi beneficia instituerunt, ex quibus apud Gallos feuda exorta vidimus. Id usque adeo verum videri debet, ut ipsum beneficii vocabulum nusquam occurrat in Regum Longobardorum legibus, idque mirum ipsum oculatissimum Montesquieum non advertisse. Fucum ea in re doctis fecit beneficiorum mentio in legibus Regum Francorum haud infrequens, quas Italia potiti ii scripserunt, & quas collectores, utpote cum Longobardicis in Italia æque servatas sub Regno Francorum, legibus Longobardorum immiscuerunt.

III. Ex dictis hactenus facile definire fue-

ſuerit, vera feuda in Italiam non fuiſſe per Longobardos invecta. Nimirum, ut oſtendimus ſuperiori capite, feuda aut ex beneficiis militibus concedi ſolitis, aut ex publicis muneribus ducum, comitum, marchionum originem potiſſimum acceperunt. Beneficia enim, ac prædicta munera vera evaſere feuda, ubi liberis etiam ſunt delata, & perpetuitas ipſis acceſſit. Id in beneficiis ſub Longobardis in Italia obtinere non potuit: nam & beneficia, & ipſæ beneficæ collationes apud ipſos prorſus ignota erant. Publica vero munera ducum, comitum, marchionum ad liberos non redibant. At qui factum inquies, ut ſuperiorum ætatum ſcriptores ferme omnes feudorum in Italia inſtitutum a Longobardis arceſſerent? Eos tranſverſos egit ipſa collectio conſuetudinum feudalium, ubi ob ignorantiam temporum collectores ita loquuntur, quaſi

quasi in Italia Longobardi feudorum fuerint auctores. In eam vero sententiam sunt abrepti non solum doctores Itali, sed exteri quoque, qui cum in civili, cum feudali jure ab Italis profecerunt. Ceterum cum supra ostenderimus, non tantum ex beneficiis militibus concedi solitis, sed ex ducatibus etiam, & comitatibus feuda promanasse; ducatus vero, & comitatus apud Longobardos in usu celeberrimo fuerint; inde licet inferre, feudorum etiam veluti lineamenta quædam in Italiam per Longobardos invecta; id ipsum tamen & de Gothis affirmari posset, qui in Italiæ Regno duces, & comites non ignorarunt.

IV. Explosa igitur sententia, quæ feudorum in Italia institutum Longobardis asserit, scriptores neoterici plerique omnes recte pronunciarunt, ipsos Francos feuda in Italiam importasse. Sed & illud definiendum superest, quis Regum

Fran-

Francorum primus in Italia liberis feuda deferri jusserit. Sane cum per Caroli Magni leges beneficia ad liberos non redirent; Ludovicus vero Pius sat rarenter, & ut quibusdam tantum militibus de se merentissimis gratificaretur, beneficiorum apud Francos locum successioni fecerit; sat inde liquet, neque per Caroli Magni, neque per Ludovici leges in Italia feuda liberis fuisse delata: id igitur factum per Ludovici filios. Enimvero, quod mirum videri possit, citius in Italia, quam apud ipsos Francos saltem feudis non Regalibus perpetuitatem accessisse crediderim. Siquidem, ut ostendimus superiori capite, non ante Caroli Calvi leges apud Francos locus in beneficiis successioni patuit. At in Italia ipse Lotharius I. ut inter concussæ Italiæ motus militum sibi animos devinciret, & adversus fratrum molimina defensores

sibi

sibi pararet, ea ad liberos redire jussit. Eo me deducunt ipsæ consuetudines feudales *libr.* 1. *tit.* 19. Ibi enim diserte scribitur, Romæ Lotharium coram Eugenio, secundo scilicet, militum liberis feudorum successionem detulisse. Eum autem locum de Lothario I. intelligi oportere, vel inde liquet, quod ea sententia & cum rubrica constitutionis ejusdem Lotharii apud Balutium convenit *capit. tom.* 2. *pag.* 317. *edit. Pariens.* & cum iis consonat, quæ narrat Sigonius *de Regn. Ital. libr.* 4. Vide Burchard. Gotthelff. Struvium *in histor. jur. feudal.* §. 14. Si verum id fuerit, perperam tradidere doctores, sub initia tandem undecimi sæculi primum Conradum Salicum perpetuitatem feudis in Italia tribuisse. Haud ego quidem ignoro, id ipsum feudalium consuetudinum collectorem narrare *feud. consuet. lib.* 1. *tit.* 1. §. 2. Verum, ut recte

advertit idem Struvius *loc. cit.* Conradus non primus legem ea de re tulit, sed Lotharii I. constitutionem ævitate fortasse sua jam languescentem sua etiam auctoritate firmavit. Ceterum quæ de feudorum perpetuitate diximus, & de eorum delatione ab liberos per constitutionem Lotharii I. & Conradi Salici, de beneficiis ipsis, & feudis non Regalibus debent intelligi. Nam feuda quidem Regalia, cujusmodi sunt ducatus marchionatus, comitatus, serius quidem, neque nisi sub sæculi undecimi finem in Italia liberis deferri cœperunt. Vide Murator. *antiquit. Italic. dissert.* 6. Nunc, quod superest, videamus, quo tandem tempore in Regnum Neapolitanum, ac Siculum feuda fuerint illata.

CA-

CAPUT IV.

De feudorum illatione in Regnum Neapolitanum, ac Siculum.

UT accuratius decerni poſſit, quo tandem tempore in Regnum Neapolitanum feuda fuerint illata, paucis prænarrandum, quale fuerit fatum noſtrarum regionum, poſtquam Italia potiti ſunt Longobardi. Ea in re primum omnium ſatis conſtat, Zotonem primum Beneventi Ducem, per Alboinum Tranſtiberina Italia nondum prorſus debellata, Benevento imperitare cœpiſſe ab ipſo ferme Chriſti anno 571. Vide tamen ea de re Camill. Peregrin. *diſſert.* 1. *de Ducat. Benevent.* An is obnoxius veluti jure feudi Alboino fuerit primo Longobardorum in Italia Regi, a doctis hactenus non definitum. Liquet tamen,

Zotonem, debellata jam Benevento, reliquis Regni Neapolitani provinciis non statim potitum, easque vix tandem auxilio Autharis debellasse; ita omnes fere Regni regiones ad Beneventi Ducatum pertinere cœpisse; exinde vero Zotonem ipsum, ejusque in Ducatu successores feudale obsequium Longobardis Italiæ Regibus præstare adactos Paul. Diacon. *in histor. Longobard. libr.* 3. *c.*16. *& sequ.* Inde intelliges, cur Ducum Beneventanorum aut electio, aut certe confirmatio sub Longobardis olim penderet ab Italiæ Regibus; cur etiam neque jus cudendæ monetæ olim Beneventi Duces usurpare possent. Sane numismia aliquod Beneventani Ducatus eruditis hactenus invenire non licuit. Quæ enim ejus numismata produci solent, ad sequiorem ætatem referri debent, cum Beneventi Principes, Regum Francorum excusso jugo, auri, argenti,

æris

æris flandi feriundi jus tandem exercuerunt. Vide Murat. *antiquit. Italic. dissert.* 27.

II. Porro ab initio Beneventani Duces provincias bello partas per Gastaldos regi maluerunt; quorum potestas scilicet potestate comitum minor esset, ac Ducibus magis obnoxia. Hinc intelliges, cur sub primis Beneventi Ducibus in nostris provinciis comites raro inveniantur. Vide Camill. Peregrin. *de Ducat. Benevent. dissert.* 8. Gastaldi autem, & si qui comites apud nos forent olim, perinde ac in Transtiberina Italia, pro Ducum Beneventanorum arbitrio gradu suo moveri poterant. Comitatus igitur, Gastaldatus publica munera, ac temporariæ præfecturæ erant, neque rationem feudi habere poterant. Apud Longobardos etiam nostris provinciis imperitantes olim beneficæ collationes ignotæ, quibus sibi Principes mi-

lites bello pararent. Beneficiorum enim in legibus Longobardorum Principum ne mentio quidem occurrit. Hinc igitur liquet, ſub primis Longobardis in Regno olim neque ob publica munera, neque ob beneficia militibus concedi ſolita feuda obtinuiſſe.

III. Enimvero ſub initia ſæculi decimi feudale inſtitutum omnes ferme Europæ Gentes invaſerat; rariſſima paſſim allodia, & qua jure, qua injuria ad feudalitatem inclinabant omnia. Conf. Robertſ. *in Carol. V. t.* 2. *not.* 8. Per idem ferme tempus mutuis diſſidiis debilitati, ac fracti Longobardi jus feudi in Principatum Beneventanum Italiæ Regibus adacti ſunt profiteri. Majus inde commercium inter Longobardos Tranſtiberinos, eoſque, qui noſtris provinciis potiti fuerant. Hinc inſtituta Longobardorum, qui regiones trans Tiberim occuparant, Neapolitanas quoque provin-

cias

cias pervaserunt. Ita vero inter infirmitatem Longobardorum Principum Transtiberinorum comitum, marchionum, ducum exemplo usi apud nos Gastaldi, comites non solum, quamdiu adviverent, publica munera, ministeria sibi vindicarunt, sed & ad liberos ea transmittere studuerunt. Hinc in nostris provinciis per ipsum undecimum sæculum, Longobardorum apud nos labante fortuna, in comitatus parentum passim successere liberi, ut constat ex tabula chronologica Ducis Aquaræ *part. 3. libr. 2. c. 2. & sequent.* Sed & quod decretorium videri debet, ipso anno 986. Landonem comitem invenio, qui Atenulfo patri in comitatu successit *in chron. Vulturnens. pag.* 48. *& sequ.* Neque regeras, apud nos comitatus ad liberos rediisse, ubi *in francum allodium*, uti ajunt, comitibus concedi cœperunt. Id sane præsertim accidit, ubi, Capuæ Prin-

cipatu veluti in frustula comminuto, ejusdem Principis liberi quarumdam Civitatum adepti sunt comitatum. Nisi enim vim Principatus resolvere omninò velis, admitti non potest, in francum allodium concessis oppidis, feudalem qualitatem ipsis ademptam. Ea concessio potius eo pertinuit, ut comites, si bellum inferri oporteret, ab onere militiæ immunes essent; quæ quidem proprietas est feudi, quod *francum* appellant. Vide Christoph. Hubner. *de feud. franc.* §. 8. *& sequ.* Rationibus igitur accurate subductis, clarissimi Hyacinthi Dragonetti sententiam lubens amplector existimantis, apud nos feuda non per Nortmannos quidem, sed per ipsos Longobardos inferri cœpisse. Sed vide ipsius dissertationem *de origin. feudor. p.* 1. *c.* 4. Nunc, quod superest, videamus, quibus initiis in Siciliam ipsam feuda primum illata fuerint.

IV.

IV. Licet inter continentes provincias Sicilia referretur a Romanis olim, quippe ab Italia modico divisa freto; ejus tamen instituta per nonum, ac decimum sæculum cum ab ipsis Italis, cum a reliquis Europæ Gentibus diversissima quidem evaserant. Cum enim per id temporis inter Principum Bizantinorum imperium, & Saracenorum latrocinia fluctuaret, transmarina instituta in eam penetrare vix poterant. Enimvero ubi Sicilia in Nortmannorum sacramentum fuit adacta, in eam quoque feuda intulere victores. Igitur exploratum videtur, per Nortmannos primum feudale regimen apud Siculos introductum. Idem Dragonettus quidem *in orig. feudor. p.1. c.7.* §.22. totus in eo est, ut feuda apud Siculos per ipsos Saracenos illata probet: in eam vero hypotesin ab ipso corrasa argumenta parum absfuerunt, quin eam sententiam amplecti me cogerent,

Verum, accuratius re perpensa, id tantum ipsi concesserim, institutum aliquod feudis haud absimile in Siciliam per Saracenos invectum; vera in eam feuda illata negem. Si secus statuas, ego non video, cur e Sicilia Saraceni extorres feudorum statim obliti fuerint, neque alio terrarum ea secum advexerint. Aliunde mecum cædendo sermones recte statuebat doctissimus Marchio Simonetta, qui scriptis suis exquisitissimis in re feudali nostratibus facem prætulit, apud omnes ferme Gentes feudorum quamdam imaginem inveniri posse ob instituta quædam passim recepta, quæ in veris feudis alibi invaluerunt. Sed nos latius isthæc, quam pro instituto. Longam igitur veluti navigationem sæculorum emensi cum inauspicato feudorum partu, & ob deformitatem insigni in patriam remeabimus, ac de eorum jure videbimus.

JUS

JUS FEUDALE

NEAPOLITANUM, AC SICULUM.

LIBER I.

TITULUS I.

De collectione juris feudalis communis, ejusque receptione apud Neapolitanos, ac Siculos.

FEudis in Europa receptis, cum publicum veluti patrimonium ab initio constituerent, & vix nudum usumfructum barones inde perciperent, controversiæ feudales rariores erant: si quæ lites de feudis enascerentur, paucissimis legibus definiri poterant. Enimvero ubi perpetuitas feudis accessit, & privati etiam patrimonii rationem in eis spectatam oportuit, frequentissimæ inde

inde lites. Hinc necessitas ipsa plurimas de re feudali leges excudit, quæ partim moribus, partim placitis Principum, partim doctorum sententiis acceptæ referri debent. Et in aliis quidem juris articulis de feudalibus controversiis iisdem legibus ubique Gentium judicari placuit; in aliis vero pro Regnorum, ac Civitatum diversitate diverse judicatum, prout seu scriptis legibus, seu receptis moribus diversum jus esset. Hinc solet passim jus feudale dividi in *Municipale*, seu topicum, & *commune*. Municipale appellatur, quod summa potestas in suo Principatu constituit. Nam singulæ ferme in Europa provinciæ, in quas feuda immearunt, jus feudale Municipale habent: in singulis etiam ferme Principatibus in suas collectiones abiit. Ita quidem separatim collectum jus feudale Germanicum, Svecicum, Saxonicum. Vide Burcard. G. Stru-

Struvium *in histor. jur. feudal.* §. 16. Verum jus feudale Neapolitanum, ac Siculum neque privatim collectum est hactenus, &, velut Absyrti membra, inter utriusque Regni collectiones sparsim jacet. Contra jus feudale commune dicitur, quod in patriarum legum defectu cum in Regno Neapolitano, ac Siculo, cum passim alibi in Europa obtinet. Ita apud nos jus feudale commune subsidiarium usum habet. De eo igitur accurate videndum.

II. Jus commune feudale prostat post Justiniani novellas sub titulo *decimæ collationis*. Veteres scilicet glossatores Justiniani novellas in novem collationes dispescuerunt. Ubi igitur ad commodiorem jurisconsultorum usum jus feudale quoque corpori Justinianei juris fuit adsutum, id decimæ collationis vocabulo designari cœpit. Jus autem feudale commune *consuetudines feudales* in-

inſcribitur. Occaſio vocabulo inde enata, quod quæ inibi exhibentur, maximam partem promanarunt ex moribus in Italia Tranſtiberina receptis apud Longobardos, apud quos, ut ſupra vidimus, feuda per Francos inſtituta fuerunt. Ne putes igitur, conſuetudines feudales tantum jus Longobardicum exhibere. Quæ enim ibi continentur, pauciſſimas tantum lacinias juris Longobardici complectuntur; earum pars longe maxima aut res in Italiæ Tranſtiberinæ curiis judicatas, aut opiniones Oberti de Horto, Gerardi de Nigris, & aliorum prudentum Italorum complectitur; aut exhibet conſtitutionum ſententias ſcriptarum de re feudali per Conradum I. Henricum III. alioſque Principes, qui per inſequuta tempora Italiæ imperitarunt, ut ex ipſa conſuetudinum feudalium lectione liquet.

III. Quod autem ad collectores conſue-

suetudinum feudalium, ea de re dissidium fecerunt interpretes. Veteres doctores plerique omnes, eam collectionem ab Oberto de Horto, & Gerardo de Nigris consulibus Mediolanensibus sub Friderico I. consutam censuerunt. Contra non pauci sibi persuaserunt, ejus auctorem fuisse Hugolinum de Prætis sub Friderico II. in Bononiensi Lycæo juris antecessorem. Verum neutra sententia, rebus accuratius perpensis hodie, videtur admitti posse. Quod ad primam enim sententiam, quæ Obertum de Horto, & Gerardum de Nigris consuetudinum feudalium facit auctores, eam ipsa earum lectio facile refellit. Nam, ut omittam alia, non semel ibi consulum illorum Mediolanensium opiniones & afferuntur, & per collectorem rejiciuntur. Quod ad alteram, ne ea quidem firmo stat talo. Is enim vulgatus error manavit ex male in-

intellecto Odofredi loco ad *authent. cassa. C. de Sacrosf. Eccles.* Inde enim id tantum inferre licet, Hugolinum illum juris antecessorem in Bononiensi Lycæo consuetudines feudales pridem collectas sub titulo decimæ collationis corporis Justinianei juris attexuisse; eumdem libris feudorum addidisse constitutiones Conradi, & utriusque Friderici, quæ in veteri collectione non legebantur. Stet illud igitur, consuetudines feudales sæculo decimosecundo privatim collectas, de auctore tamen ne hodie quidem liquere, & adhuc incertum esse. Perperam autem scribit Burchardus G. Struvius, eam collectionem Friderici II. auctoritate firmatam videri *in histor. jur. feudal.* §. 19. Fabula enim isthæc æqualium scriptorum testimonio caret, &, quos ille testes producit, pluribus sæculis post Fridericum vixerunt. Sed vide omnino Georg. Ludovic. Boehmer.
de

de ætat. vetust. collect. consuet. feudal. apud August. Jenich. t. 1. part. 1. pag. 197.

IV. Quisquis autem consuetudinum feudalium fuerit collector, in farragine illa coaxanda vitio quidem insipientis, & inficeti sæculi plura peccavit. Præter quam quod enim nullus ibi rerum corrasarum ordo, & ubique summa confusio, in ea passim deprehendere licet non solum similium responsorum geminationes, & hæsitabundum hominem in decernendo, utram sententiam sequi oporteat, sed &, quod prorsus excusari non potest, plura seu absurda, seu secum quoque contraria. Ejus vero notæ & permulta ibi prostant, & eam ob rem Franciscus Hotomannus præter alios in collectorem invehitur *in comment. de feud. tripartit.* Cum igitur informis illa farrago doctis non satisfaceret, sæculo decimo quinto Antonius

Mincuccius de Prato Veteri novam feudorum coaxationem instituit in sex libros digestam. Eodem etiam ferme tempore Bartholomæus Baraterius eamdem Spartam excolendam suscepit opusculo suo, quod *libellum feudorum reformatum* inscripsit. Quæ erat tamen apud pragmaticos veteris collectoris auctoritas, forense imperium neuter eripere ei potuit. Non mirum igitur, si ipse Cujacius ea in re frustra vires expertus sit suas. Is enim jus feudale commune acrius ex more suo recensuit, ac libros quinque inde conflavit. In quarto etiam libro suo Cujacius a titulo septuagesimo tertio adjecit, quæ *capitula extraordinaria* vocant, veteribus glossatoribus olim ignota, & ab Joanne Ardizone, & Jacobo Alvarotto literato orbi primum producta. Hodie igitur adhuc in foro viget vetus illa collectio. Id inde factum, quia post glos-

glossatores in libris suis doctores veteri illi collectioni se pridem accommodaverant, atque in conscribillando eam unice sequuti fuerant. Proinde magna apud forenses confusio enata foret, si novum feudale syntagma aut Cujacii, aut alterius essent amplexi. Nunc, quod res flagitat, de auctoritate consuetudinum feudalium videamus, quæ, ut supra monuimus, juris feudalis communis vocabulo designantur, & quibus in patriarum legum defectu de feudalibus controversiis pronunciari solet.

V. Juri communi feudali id ipsum ferme contigit, quod juri Romano in prælectionibus accidisse monuimus. Jus enim commune feudale quoque nulla Principum lege, ipsis moribus cum in reliquas Europæ provincias, cum in Regnum Neapolitanum, ac Siculum penetravit, & in patriarum legum defectu eo passim decisæ sunt controversiæ.

Id vero factum unice eorum opera, qui in scholam Bononiensem juris addiscendi causa undique commeabant. Cum enim ibi antecessores ex ea consuetudinum feudalium farragine jus feudale docerent, auditores sæculo præsertim decimo tertio inde in patriam remeantes, seu patrocinio causarum se exercerent, seu magistratus adepti forent, eo ipso jure causas & tutabantur, & decidebant. Suam igitur ignorantiam prodiderunt, qui Kalendarii Bononiensis locum perperam interpretati Friderici Aenobarbi lege præscriptum putarunt, ut secundum consuetudines feudales de feudalibus controversiis jus diceretur. Inde enim id tantum inferri potest, per Aenobarbum consuetudines feudales ad Academiam Bononiensem missas, ut cum ejus venia ibi prælegerentur, non vero ut ejus auctoritate confirmatæ intelligerentur. Per id temporis scilicet dignitas lon-

longe major Bononiensi Lycæo credebatur accedere, si, quæ ibi dictarent antecessores, in scholæ tantum usum confirmarentur auctoritate Principum. Ita quidem in scholæ Bononiensis usum Justiniani novellas per Fridericum II. confirmatas narrat Odofredus ad *authent. cassa. C. de Sacros. Eccles.* Id ipsum Eugenium III. in decreto Gratiani confirmando fecisse late ostendit Justus Henningius Boehmerus *in dissertat. de var. Gratian. fortun. l. 9.* Exemplo igitur haud absimili in simplicem scholæ usum per Fridericum I. feudales consuetudines sunt confirmatæ. Earum autem docendarum provincia demandata fuit Jacobo Hugolino de Porta Ravennate uni ex quatuor Irnerii discipulis, quibus assessoribus in dubiis juris articulis idem Fridericus I. uti solitabat, ut memoriæ prodidit Radevicus *de gest. Frider. I. libr. 2. c. 5.* Rem omnem conficit Archi-

gymnasii Bononiensis Kalendarium productum per Alexandrum Macchiavellum *ad Sigon. histor. Bononiens. tom.* 3. *pag.* 150. *not.* 84. Sic enim ibi sub die 23. Octobr. *Anniversarium funeris insignissimi Hugolini de Porta Ravennate jurisconsulti, & libri feudorum Bononiam a Friderico I. missi glossatoris, & in omnibus socii Bulgari, & aliorum nostrorum doctorum. Ossa ejus requiescunt ad S. Victorem in Barbiano, ubi solemniter fuit tumulatus ann. S.* 1168. Sed vide de tota re Georgium Ludovicum Boehmerum *in thesaur. Jenich. tom.* 1. *p.* 1. *pag.* 206. *& sequ.* quem infeliciter excribendo nescio quis, & indoctis objiciendo pro Junone nubem gloriam sibi parasse putat.

VI. His ita se habentibus, imperitiam suam ostendunt, qui per Fridericum II. consuetudines feudales in fori usum confirmatas existimant. Perperam vero

vero id adprobare satagunt auctoritate scriptorum, qui decimo quinto, & insequenti sæculo scriptitarunt. Ii enim rei pluribus retro sæculis ante se gestæ idonei testes videri nequeunt. Recte autem edixit Georgius Ludovicus Boehmerus *in comment. de ætat. consuet. feudal.* §. 17. eorum errori occasionem dedisse Odofredi locum ad *authent. cassa. C. de Sacros. Eccles.* Sed & turpius errant, qui eodem Odofredi loco decepti Hugolinum de Prætis Bononiensem antecessorem sub Friderico II. consuetudines feudales collegisse garriunt. Ab Odofredo enim id nusquam memoriæ proditum. Sed lubet ipsum Odofredi locum proferre. Sic enim glossator ille ad *d. authent. cassa. C. eod. Ut unum sciatis, authenticum, quod fuit compositum a Justiniano, habet novem collationes. Postea cum venit Imperator Fridericus junior misit has constitutiones ad Civi-*

tatem istam, Bononiam scilicet, *doctoribus legum, ut aptarent eas singulis legibus sub congruentibus titulis; & ita fecerunt doctores. Postea quid fecerunt? Dominus Hugolinus post nonam collationem posuit librum feudalem, & omnes constitutiones Friderici antiqui, & junioris, & aliquas leges Conradi, & vocatur decima collatio.* Inde igitur tantum inferre licet, Hugolinum de Prætis consuetudines feudales extra corpus juris Justinianei pridem vagantes ei primum attexuisse; ita vero juris studiosis earum majorem movisse salivam. Vide Gaspar. Henric. Horn. *in jurisprud. feudal. c.* 1. §. 23. Nunc videamus, qua tandem ætate consuetudines feudales in Regno Neapolitano, ac Siculo juris auctoritatem sortiri cœperint.

VII. Supra quidem evicisse videor, ante ipsum Nortmannorum adventum in Regno Neapolitano feuda non defuisse

cap.

cap. 4. §. 3. Exinde igitur quæ de feudis consuetudines in Transtiberina Italia valescebant, maximam saltem partem in nostras quoque provincias illatas oportuit. Certe ubi rebus pacatis Rogerius Rex leges tulit, quibus pace, & Principe uterentur, in tanta feudorum copia apud Neapolitanos, ac Siculos ipsa necessitas flagitabat, ut Transtiberinas de feudis consuetudines, licet nondum collectas, in regiones a se debellatas inveheret. Si secus statuas, ego quidem haud video, quo tandem jure in tanta paucitate patriarum legum controversiæ feudales definiri possent. Sed & eo me deducit Hugonis Falcandi locus de Rogerio *histor. Sic. apud Carus. tom.* 1. *princ.* Sic enim ibi. *Aliorum quoque Regum, & Gentium consuetudines diligentissime fecit inquiri, ut quod in eis pulcherrimum, aut utile videbatur, sibi transumeret.* Proinde recte conjecisse videtur do-

doctiſſimus Dragonettus *in diſſert. de origin. feudor. p.* 1. *c.* 9. §. 20. libros illos per eumdem Falcandum *defetarios* appellatos juſſu ejuſdem Rogerii fuiſſe ſcriptos; inibi vero præter alia cum novas Principum Nortmannorum leges, cum conſuetudines feudales Tranſtiberinas extitiſſe, quas Rogerius in ſuis provinciis adoptari juſſerat. Id multo magis mihi perſuaſerim, quia per eam tempeſtatem apud nos feudorum numerus longe maximus penes Longobardos erat: ut proinde feudales controverſias per conſuetudines apud Tranſtiberinos Longobardos pridem receptas definiri oporteret. Sane Fridericus II. Rogerii nepos per ætatem ſuam feudorum copiam longe maximam penes Longobardos fuiſſe oſtendit *in conſtit. ut de ſucceſſionibus . de ſucceſſion. nobil. in feud.* Ibi enim ex ſua generali lege in feudorum ſucceſſione ſervanda eos excipit, qui in utroque Regno vi-

viverent *specialiter jure Francorum*. Penes Francos, seu Nortmannos igitur feuda paucissima erant. Nam eorum successio, veluti regulæ generalis exceptio, in prædicta constitutione a Friderico proponitur.

VIII. Ex dictis hactenus videtur inferri posse, consuetudinibus feudalibus sub Friderico Ænobarbo collectis, eas in Regnum Neapolitanum, ac Siculum aut sub Nortmannis ipsis, aut certe sub Suevis fuisse statim invectas: saltem sub Friderico II. ea de re dubitari non potest. Roffredus enim Beneventanus æqualis Friderico II. ejusque consiliarius aperte docet *in quæst. Sabat.* consuetudines feudales per ætatem suam in Regno Apuliæ fuisse servatas. Id ipsum autem in Siciliæ quoque Regno per id temporis factum oportuit. Nam monstrosum fuisset, sub eodem Principe apud Neapolitanos quidem eas obtinuisse, neuti-

tiquam vero apud Siculos in controversiis, quæ nostris legibus definitæ non forent. Perperam vero vir aliunde doctissimus Franciscus de Andreys in dubium revocat *in disput. an fratres in feud.* an per Friderici II. tempora jus feudale commune receptum in Regno fuerit ob dicta glossæ ad *constit. ut de successionibus. verb. injuriam.* Primo enim ibi glossator eos refellit, qui jus feudale commune in Regno non observari asserebant. Is vero sub eodem Friderico II. vixit, atque auditor Azonis fuit in Bononiensi Lycæo, ut ostendit idem de Andreys in prædicta disputatione *c.* 1. §. 1. Deinde nemo unus ignorat, ita comparatos glossatores fuisse, ut certissima quæque disputandi libidine in dubium revocarent. Stet illud igitur, sub Friderico II. saltem non minus apud Neapolitanos, quam Siculos jus feudale commune obtinuisse, & in legum patria-

triarum defectu eo controversias definitas. Sed in tota causa peroranda doctis otium fecit Dragonettus noster *in dissertat. de feud. p.* 1. *c.* 9. §. 17. *& sequ. & p.* 2. *c.* 6.

IX. Nondum hinc abire nos sinunt interpretes. Nimirum, ut supra monuimus, Cujacius in consuetudinibus feudalibus recensendis a titulo septuagesimo tertio adjecit, quæ *capitula extraordinaria* vocant, quæque a Joanne Ardizone, & Jacobo Alvarotto primum producta monuimus. Dubium igitur videri queat, quæ eorum in foro hodie ratio sit habenda, & quæ in controversiis definiendis eis sit deferenda juris auctoritas. Doctores plerique omnes capitulis illis extraordinariis juris auctoritatem abrogant, quod veteres glossatores ea neglexerint. Itaque occinunt decantatum illud, *quod glossa non agnoscit, id & Curiam agnoscere non oportere*. Vix vero

ro concedunt, ut in ambiguis ad interpretanda capitula ordinaria eadem adhiberi possint. Vid. Adam. Struv. *syntagm. jur. feudal. c.* 1. *aphor.* 7. *n.* 10. Secus Cujacio visum. Is enim ad titulum septuagesimum tertium libri quarti in recensione sua dementiam esse scribit, extraordinariorum capitulorum reliquias improbare, cum præsertim a reliquis capitulis glossatorum auctoritate receptis ea non discrepent. In eo sententiarum conflictu negari quidem haud potest, auctoritate glossatorum potissimum feudalium consuetudinum observantiam irrepsisse in forum; ab initio etiam capitula tantum ordinaria ejus usu recepta; extraordinaria vero non recepta quidem fuisse, nec improbata tamen. Ita igitur rationes inierim, ut, ubi cum ordinariis capitulis extraordinaria quoque conveniant, iis deferatur juris auctoritas; si quando tamen ab ordinariis

ea dissentiant, quod non semel in eis videre licet, ab ordinariis non recedatur. Vid. Stryk. *in exam. jur. feudal. c. 1. n. 22.*

X. His ita præstitutis, facile per se quisque decernet, quo tandem jure in Regno Neapolitano, ac Siculo feudales controversiæ definiri debeant. Primo scilicet serio perpendendum, an controversæ species scriptis utrobique legibus, aut receptis moribus definiri possint. Inter mores rite receptos res etiam perpetuo similiter judicatæ referri debent. Nam & res perpetuo similiter judicatæ consuetudinis jure censentur, ac juris non scripti auctoritatem habent *l. 38. ff. de legib.* Si in dubiis rerum articulis neque jus scriptum, neque consuetudines suppetant, jure feudali communi de controversiis pronunciandum erit. Si ipsum jus commune feudale desit, res transigetur ex regulis Romani juris. Id ipsum ta-

tamen hæſitanter, ac timide dictum intellige, & hic potiſſimum cautione eſt opus. Nam ſpecies quidem occurrunt, quas, licet per jus feudale commune definitæ non fuerint, potius veteri Longobardorum jure, quam legibus Romanis definiendas putarim. Ita quidem jus Romanum fratres utrimque conjunctos in fratrum ſucceſſione præferri jubet *novell.* 118. *c.* 3. In Regno tamen neque germanus fratri conſanguineo, neque germanorum filii fratrum conſanguineorum filiis in feudis præferri debent. Nam obeunte fratre, a quo feudum de jure Longobardorum relictum fuerit, ei germanus cum conſanguineo æque ſuccedit. Id inde factum, quia in feudorum ſucceſſione conſuetudines feudales cognationis rationem non habent, eæque apud Longobardos Tranſtiberinos invaluerunt, cum nondum Juſtiniani leges receptæ erant. Iis vero in Europa receptis,

ptis, quod ad feuda, receptæ quidem fuerunt, quatenus tamen cum consuetudinibus feudalibus, & legibus Longobardicis convenirent. Leges autem Longobardicæ perinde, ac consuetudines feudales, in hereditatibus deferendis nullam ferme cognationis rationem habent; ut proinde in feudis quoque secundum Longobardorum leges in Regno diu servatas jus tantum agnationis spectari placuerit. Vide Francisc. de Andr. *in disput. an fratr. in feud. c.* 3. §. 6. *& sequ.*

TITULUS. II.

De feudorum rectorum essentia, & contractibus feudo affinibus.

QUæ passim hodie feuda dictitari solent, beneficia appellavit vetustior ætas. Feudi vero vocabulum ante undecimum sæculum in genuinis monumentis nusquam occurrit. Hinc recte edicunt rei diplomaticæ periti viri, ad supposititia ablegari oportere, si qua diplomata ante undecimum sæculum feudi vocem exhibeant. Rem apprime evicisse videtur Nicolaus Zaepffelius *in dissert. de feud. oblat.* §. 8. *& sequ. in thesaur. feud. Jenich.* Ejus autem rei causa ex iis, quæ in feudorum historia supra præcepimus, facile reddi potest. Ibi scilicet ostendimus, barones olim, vix quamdiu adviverent, in feudorum pos-

cessione fuisse; per decimum tandem, atque insequuta saecula feudorum perpetuitatem ipsis concessam. Ubi igitur factum id fuit, ipsa res monuit, ut, beneficii vocabulo ferme rejecto, vox potius feudi usurparetur. Nimirum rectius olim feuda beneficia appellabantur, quia Principis beneficio barones in feudorum possessione forent, eorumque veluti precarius ususfructus esset. Ubi perpetuitas feudis accessit, eorumque successionem liberis patere placuit, ut vox cum re conveniret, ad juris perpetuitatem inculcandam feudi vocabulum excusum oportuit. Proinde inter discordes doctorum sententias, quod ad ejus vocis originem, litem iis addixerim, qui a veteribus Germanorum vocibus *feo*, & *od* feudum conflatum existimant. *Feo* enim apud Germanos veteres stipendium designabat; *od* vero possessionem; quasi dicas possessionem stipendii causa militi-

 bus

bus concedi ſolitam. Vide Wachter. *in gloſsar. German. in voc. feudum*. Si verum id fuerit, falſus eſt conſuetudinum feudalium conſarcinator *libr.2. tit.3.* ubi feudum a fide dictum exiſtimat. Saltem, ſi eum excuſare malis, Stoicam vocabulo originem cenſendus eſt tribuiſſe. Ceterum licet in veterum beneficiorum locum feuda ſucceſſerint, intereſt tamen inter beneficia, & ipſa feuda. Primo enim ab initio olim beneficia concedendi jus erat tantum Principi, cui ſummum eſſet imperium, ut late oſtendit Zaepffellius *loc.cit.* §.5. Feudorum concedendorum facultas non tantum baronibus, ſed & privatis competebat. Deinde beneficiariis Principem ab aliis ſubditis diverſam tutelam præſtare non oportebat. Jus igitur directum in beneficia non amittebat Princeps, ſi eis ſpeciatim patrocinium non præſtaret. Verum, feudo conceſſo, non minus dominum vaſ-

ſal-

sallus, quam vassallum dominus speciatim tutari cogitur. Si secus faciat, directum feudi dominium is amittit *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 26. §. *domino*. Conf. eumdem Zaepffel. *loc. cit.* §. 6. Id ipsum tamen de dominis intellige; qui summo non utuntur imperio. Denique, ne singula persequar, ex veteri instituto in beneficia vix ususfructus ad beneficiarios pertinebat. Verum jus longe majus baronum fuit in feuda. Ut enim infra liquebit, beneficiis in feuda conversis, *utile*, quod ajunt, dominium in ea baronibus deferri cœpit.

II. Ut autem feudorum essentia, seu quæ ea proprietates constituant, recte percipiantur, illud advertendum in primis, id vocabulum πολύσημον esse, ejusque in consuetudinibus feudalibus plures notiones occurrere. Nam & ipsum contractum feudalem significat inter do-

minum directum, & baronem iniri solitum, & rem ipsam feudi titulo vassallo traditam, ac, ne multus sim, jus etiam illud, quod per investituram in baronem transfertur. Cum vero in feudali disciplina ipsa jura baronum frequentius in disceptationem venire soleant, in postrema notione potissimum feuda spectabimus. Eo autem respectu feudum haud inconcinne definiri queat *publici patrimonii delibatio per Principem immediate, aut mediate facta, qua, retento dominio directo, rei immobilis, quæve rei immobilis jure censetur, utile dominium cuiquam tribuitur sub lege fidelitatis præstandæ.* Ut igitur sunt res hodie post perpetuitatem feudis additam, ipsum utile dominium baroni defertur. Proinde falluntur, qui intra ususfructus fines jus vassallorum coercent. Id quidem in beneficiis olim obtinuit, cum in ea liberi non succederent. Ubi tamen

men feudorum successio liberis delata fuit, ac facultas statuendi de feudis intra investiturae leges baronibus competere coepit, statim utile dominium in barones translatum oportuit. Inde vero intelliges, cur exemplo emphyteutae utilis rei vindicatio vassallo competat, ac servitutes feudo debitas is recte vindicet *consuet. feud.* 2. 8.

III. At vero ut feudum rectum, seu proprium, quod ajunt, constitutum intelligatur, satis quidem haud erit, utile immobilis rei dominium in quemquam transferri. Nam, ut in definitione posuimus, & per Principem immediate, aut mediate id fieri debet, & fidelitatem aut promitti, aut praestari saltem oportet. Si quid eorum desit, aliud actum censebitur. Proinde, quae in definitione memoravimus, recte *essentialia* feudi doctores appellant. Atque hic opportunum fuerit advertere, longe quidem

dem interesse inter *essentialia*, *naturalia*, & *accidentalia* feudi, quæ vocant. Feudi appellant *accidentalia* conventiones illas, quæ nihil addunt, aut demunt feudi essentiæ, ejus vero naturam augent, aut minuunt. Ita quidem auget feudi naturam conventio, qua quis ad insolitum servitium se obligarit. Contra minuit feudi naturam conventio, qua placuerit, ut minus solito servitium præstetur. Feudi *naturalia* appellantur qualitates quædam ab ipso jure feudo inditæ, quæ necessitate quadam feudum consequuntur, nisi pactum in contrarium fuerit appositum. Ita quidem naturale feudo est, ut masculi tantum succedant, ut servitia a vassallo præstentur. Denique *essentialia* feudi dicuntur, quæ ipsam feudi substantiam complectuntur: ejusmodi sunt, quæ in definitione feudi recensuimus. Feudum igitur adhuc proprium, seu rectum erit, si qua singu-

la-

laris conventio accidentalia feudi respiciat. Aliud plerumque actum, nec feudum constitutum censebitur, si qua in contractu conventio feudi essentialibus adversetur. Denique improprium, seu degenerans feudum evadet, si quid placuerit naturalibus feudi contrarium. Ita quidem feudum erit degenerans, si, feudo franco constituto, placuerit, ut baro servitio eximatur. Sed & degenerans feudum doctores appellare solent, cui quid insit essentialibus feudi contrarium. Conf. Struv. *syntagm. jur. feudal. c.2. aphor. 4. & sequ.* Nunc, quod polliciti in rubrica sumus, de contractibus feudo affinibus pauca delibemus.

IV. Complures igitur contractus quamdam cum feudis affinitatem habent, & ad ea proxime videntur accedere; a feudis diversi sunt tamen, & alio ab eis jure censentur. Eo potissimum pertinent *superficies*, *emphyteusis*, *libellus*, &, ne mul-

multus, sim, quam *precariam*, & *præstariam* appellavit sequior ætas. Interest igitur feudum inter, & superficiem. Hæc enim conventio tantum ipsam prædii seu rustici, seu urbani superficiem complectitur *l.* 1. §. 4. *ff. de superfic.* Verum jus feudi in totum prædium constituitur. Eo accedit, quod feudum sub præstatione fidelitatis; superficies sub præstatione annui canonis constituta intelligitur. Præterea, quod superficies, invito etiam prædii domino, donari, legari potest *d. l.* 1. §. 7. *ff. eod.* id ipsum tamen in feudo leges haud sinunt. Quod ad emphyteusim, ea ad superficiem proxime accedit, & haud absurde dixeris, veterum jurisconsultorum ævo per superficiem fuisse transacta, quæ per emphyteusim posteritas expedivit. Ita intelliges, cur post Zenonis ætatem superficiei mentio vix usquam occurrat. Proinde inter feudum, & emphyteusim eæ-

dem ferme sunt differentiæ, quas inter feudum, & superficiem adnotavimus. Quod ad libellum, seu contractum libellarium, is ab emphyteusi non differt. Nam in jure feudali communi libelli descriptio non diversa ab emphyteusi proponitur *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 9. §.1. Ibidem de emphyteusi nusquam mentio: si quando autem collector de emphyteusi agit, eam libellarium contractum appellat. In jure etiam Longobardorum, apud quos emphyteusis frequentissima, ea modo haud absimili contractus libellarius appellatur. Inter feudum, & libellum igitur perinde interest, atque inter feudum, & emphyteusim. Vid. Struvium *in syntagm. jur. feud. c.* 2. *aphor.* 10. Denique facile etiam definire fuerit, quatenus a feudo precaria differat. Eo enim contractu per sequiorem ætatem conveniri solebat, ut quis rerum, quas donasset

Ec-

Ecclesiis, vel monasteriis, usumfructum, ad vitam usque retinere pergeret. Ea vero conventio a præstaria diversa non erat, ac diverso respectu vel precaria, vel præstaria appellabatur. Nam precaria quidem dicebatur, quia ad preces donatoris ei ususfructus concedi solebat; præstaria vero ratione Episcopi, vel Abbatis, qui id juris donatori præstabant. Precariæ vero, & præstariæ formulas apud Marculfum invenies *form. libr.* 2. 5. & 40. In re vulgata plura non lubet addere.

TITULUS III.

De diverſis feudorum diviſionibus ex jure Neapolitano, ac Siculo præſertim deſumi ſolitis.

DIverſas feudorum diviſiones expoſituri primo paucis exequemur illas, quæ ad conſuetudinum feudalium intellectum viam adoleſcentibus munire poſſint. Deinde, quod ratio inſtituti flagitat, tantiſper latius illas enucleabimus, quibus juriſconſulti Neapolitani, ac Siculi potiſſimum hærere debent. Primo igitur ſecundum conſuetudines feudales feuda generatim ita dividi poſſunt, ut quædam *propria*, ſeu *recta*, quædam *impropria*, ſeu *degenerantia* dicantur eſſe. Propria, ſeu recta feuda doctores appellant, in quibus non ſolum *eſſentialia*, ſed, & quæ feudi vocant *natura-*

lia

lia inveniuntur. Proinde degenerans feudum esse queat vel quia essentialia, vel quia feudi naturalia ei desunt. Ita quidem defectu essentialium degenerans videri debet feudum *pecuniarium*, seu in pecunia constitui solitum, &, quæ ab eo propius absunt, feuda *cameræ*, *canevæ*, *soldatæ*; feuda quoque *guardiæ*, *gastaldiæ*, *advocatiæ*, de quibus passim doctores, quorum scrinia in re vix ullius apud nostrates usus non expilarim. Ea vero in degenerantium feudorum classem referri debent, cum constituta ponantur neque in re immobili, neque in ea, quam effectu juris pro immobili haberi oporteat. Eodem ferme retulerim feudum, quod *non ligium* dici solet. In eo enim usuvenire potest, ut fidei præstatio non sit necessaria contra feudi essentiam, quæ a vassallo fidem omnino præstari jubet, ut monuimus superiori titulo.

II.

II. Rurſus complura ſunt quoque feuda, quæ degenerantia videri debent eorum defectu, quæ naturalia feudi vocari diximus, & ex feudorum natura veluti communi promanant. Ea igitur ratione degenerans erit feudum, quod *francum* appellari ſolet. In eo enim contra feudi naturam ſervitium non præſtatur. Degenerans etiam recte dixeris feudum aut *mere hereditarium*, aut quod *fœmineum* appellatur. In feudo enim fœmineo contra primævam feudi naturam ſucceſſio mulieri defertur: in feudo mere hereditario contra feudorum indolem heredi cuicumque, & ab agnatione prorſus extraneo ſucceſſio patet. Sed de feudis defectu naturalium degenerantibus plura deſino. Ea enim generatim conſtituta intelligentur, quoquo modo contrahentes a propria feudorum natura conventione ſua receſſerint. Quod igitur magis intereſt, ad feudorum diviſiones nos con-

ver-

vertamus, quæ apud Neapolitanos, ac Siculos celebrioris sunt usus, & de quibus in foro frequentius disceptatur.

III. Quod igitur ad Neapolitanos, ac Siculos, feuda passim doctores dividunt in ea, quæ *ex pacto*, *& providentia* vocant, & quæ *mere hereditaria* dici solent. Ea feudorum divisio a Pyleo, & Bulgaro primum excogitata fuit; eamdem *magistralem* pragmatici appellant, utpote a magnis illis, si superis placet, juris magistris primum inventam. Feuda primi generis ex pacto, & providentia dicunt, quia veluti ob pactum inter concedentem, & baronem initum, & ipsius directi domini providentiam eorum successio tantum liberis patere potest. Et jure communi feudali quidem inspecto, feudorum successio liberis tantum defertur. Ex ejus præscripto igitur feuda omnia ex pacto, & providentia sunt æstimanda. Cum tamen ob expres-

preſſas in inveſtitura leges a jure ordinario recedi poſſit, ex ipſa conceſſionis formula definiendum exiſtimant, an ex pacto, & providentia feudum videri debeat. Ejuſmodi igitur eſſe feudum ajunt, ſi Princeps eam adhibeat in inveſtitura formulam, *concedimus tibi*, & *liberis*, aut aliam, quæ eodem collineet. Vide de Marin. *reſolut. feudal. libr.* 2. *c.* 86. *n.* 9. Ipſa autem formula in ejuſmodi feudis adhiberi ſolita ſatis oſtendit, unam ab initio inveſtituram fieri. Ea igitur non minus primus acquirens, quam ejus quoque liberi feudo inveſtiti intelliguntur. Ita vero eo prognati liberi ab ipſo directo domino per primam illam inveſtituram feudum cenſentur accipere, neque defuncto baroni quicquam acceptum referre debent. Inde intelliges, cur in ejuſmodi feuda nil quicquam baroni liceat neque contractibus inter vivos expediri ſolitis, ne-

que per ultimum voluntatis arbitrium *consuet. feudal. libr.* 1. *tit.* 8. Sed ea de re plura desino. Nam seu ob mores ita receptos, seu, quod magis putarim, ob politicas rationes, & leges a Nortmannis ea de re latas feuda ex pacto, & providentia apud Neapolitanos vix usquam occurrunt. Ea facilius apud Siculos invenire licet, ut infra liquebit.

IV. Quod ad feuda mere hereditaria, ex doctrina Pylei, & Bulgari ejusmodi ajunt doctores esse, quorum successio heredibus quibuscumque licet extraneis deferri possit, & quæ extra primi acquirentis familiam non solum per contractus, sed per testamentum quoque alienari, legari liceat, quamvis successores in gradu feudali possessori desint. Id si admittatur, feuda mere hereditaria ab allodiis vix differrent. Allodiorum enim exemplo & contractibus pro arbitrio de eis statuere liceret, & in te-

teſtamento quibuſvis extraneis legari poſſent. Mere autem hereditaria feuda paſſim cenſeri ſolent, quæ ea formula conceſſa fuerint, *concedimus tibi, & heredibus*, aliiſve verbis, quæ idem inculcent. Eam de feudis mere hereditariis Pylei, & Bulgari ſententiam avide ſunt amplexi doctores præſertim Siculi, vel quia & ipſi feuda poſſidebant, vel quia clientum ſuorum ſtudebant rem bene agere. Ita paſſim apud Siculos prodita fiſci cauſa, ac licet feudorum ad fiſcum regreſſus Principatus ſit munimentum, ad memoriam tamen noſtram uſque ob heredum in gradu feudali defectum ad eum feuda redire vix poterant. Nam quotuſquiſque erat, qui ea in ſpecie aut feudum non alienaret, aut extraneis illud non legaret in teſtamento?

V. In ea rerum facie ſuperioribus annis Marchioni Xaverio Simonettæ penitioris juris feudalis condo promo, & non-

minus Principatus, quam bono subditorum nato Præfectura Sicula demandata fuit. Is, qua scientia in rebus feudalibus erat, plena opinione sua missa ad Caramanici Principem sacra vice, ac summo cum Siculorum plausu in Sicilia agentem eum monuit, quam monstrosa ea in re foret doctorum Siculorum sententia, & quantum inde fiscus detrimenti caperet. Ita ea de re judicio rite instituto, per amplissimum Regni Senatum pronunciatum, *perperam eo usque feuda mere hereditaria in Sicilia fuisse credita; quæcumque foret investituræ formula, de iis allodiorum instar barones statuere non posse seu contractibus, seu ultimæ voluntatis arbitrio, si deessent personæ, quæ in capitulo* si aliquem *vocatæ forent; in earum defectu feuda ad fiscum redire oportere*. Ea autem sententia pragmatica sanctione generatim confirmata fuit

Pa-

Panormi lata anno 1788. prid. id. novembr. Atque hic opportunum fuerit advertere, in obliqua linea neque in Friderici conſtitutione, neque in capitulo *ſi aliquem* feudales heredes generali gradus vocabulo deſignari; utrobique in ea cognatorum ſerie certis tantum perſonis feudorum ſucceſſionem deferri; proinde apud Siculos ex Friderici conſtitutione *ut de ſucceſſionibus* feuda paterna, materna tantum ad fratres ex latere feudi conjunctos, eorumve filios primi gradus, ſorores etiam redire poſſe; ex capitulo vero *ſi aliquem* tantum fratribus, eorumve liberis ad trinepotem uſque feudi ſucceſſionem patere, non vero reliquis cognatis, licet exempli gratia eodem gradu cum fratrum nepotibus, aut pronepotibus defunctum baronem contingant. In capitulo quidem *ſi aliquem*, memoratis fratrum liberis ad trinepotem uſque, omnes

 per-

personæ *simili gradu* defuncto conjunctæ jubentur admitti. Id tamen non eo pertinet, quasi cognatos omnes intra sextum gradum generatim admitti ad successionem oporteat. Id potius eo pertinet, in feudis de jure Longobardorum ex fratrum liberis non tantum natu majorem, sed omnes in eodem gradu positos æque in partem admitti oportere. Sane ipse Gvilelmus Pernus, qui *in capit. si aliquem* id unice agit, ut apud Siculos feudalem successionem extendat, variis erroribus actus in hac ipsa sententia, tamquam vera, tandem subsistit. Sic enim ibi. *Occurrit tertius intellectus, qui mihi noviter occurrit legendo, textum hunc loqui, quando plures sint de his personis propositis, scilicet fratre, & liberis, qui sunt defuncto conjuncti pari gradu, & determinavi, quod ii pariter admittantur, nisi inter viventes jure Francorum.* Sed & quar-

quartus intellectus prædicto capitulo posſit affigi, verba ſcilicet *omnibus ſimili gradu conjunctis admittendis* intelligendo de fratrum filiabus, neptibus, proneptibus, ac reliquis fœminis a fratre ſuſceptis intra ſextum gradum baroni conjunctis. Sed ea ſententia cum fiſci fraude ego non utar. Cum enim in eo capitulo ex fratrum liberis maſculi tantum vocentur ad trinepotem uſque, quod contra rationem juris ibi Siculis largitus eſt Princeps, ad conſequentiam trahi non debet. Quod ad fœminas igitur fratre prognatas, a Friderici conſtitutione *ut de ſucceſſionibus* recedi non debet. Ea enim inſpecta, cum in obliqua linea tantum fratris liberis primi gradus ſucceſſio deferatur, neptes, & reliquæ deinceps ex fratre fœminæ debent excludi. Sed ea de re obiter hic dictum eſto: de ea latius commentabimur, cum jus feudale ſucceſſorium exhibebimus.

VI. Ut e diverticulo redeamus in viam, Principis definitio, quod ad feuda a doctoribus Siculis mere hereditaria perperam credita, adeo cohæret cum ipsa feudorum natura, ut mirari subeat, cur contraria Bernardi de Medico, & Gvilelmi Perni sententia doctores Siculos tamdiu transversos egerit, seu ignorantia, seu fraus eam excuderit. Nam ex regulis juris feudalis heredis vocabulum in investituris adhiberi solitum non ad heredes quoslibet referri debet, sed ad eos dumtaxat, qui ad familiam baronis pertinent, & intra feudalis successionis gradus per leges vocati fuerint *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 13. & 34. §. 2. Nempe vocabula sunt interpretanda ex natura rei, in qua fuerint adhibita. Heredis vero vocabulum in feudorum investituris non pro civili, sed feudali herede, qui scilicet jure feudali successorio admittitur, debet intelli-

gi.

gi. Vide Martin. Lambert. *in differtat. de fpur. & genuin. feud. heredit. not. c.* 2. §. 2. Hinc recte idem obfervat §. 5. ad feudi fucceffionem heredes non feudales admitti non poffe, licet *baronibus, & heredibus in perpetuum conceffio facta fuerit.* Ea enim formula id tantum conceffum videtur, ut feudum familiæ non auferatur, quamdiu primo acquirenti fuperftites liberi fuerint. Eo accedit, quod Carolus V. feudorum naturam mutatam cenferi vetuit, nifi id diferte expreffum in inveftitura foret *pragm.* 4. *de feud. n. ultim.* ut proinde ex nuda heredum mentione in inveftituris feudum mere hereditarium non fit æftimandum. Feudum fcilicet concedendo Princeps certæ familiæ fibi fidelitatem eligit. Contra naturam autem feudorum eft, pro baronis lubidine, & contra Principis voluntatem ea heredibus quibufcumque deferri. Id vero vix admit-

mittendum est tandem, ubi ultro Princeps feudi naturam immutet, ejusque successionem heredi cuicumque expressim patere jubeat. Ita quidem idem Carolus V. in Rossani concessione marchioni Carretti facta, cum indulsisset, ut ejus oppidi successio heredibus extraneis etiam deferretur, inter investiturae leges expressim edixit, id placuisse, ut eo respectu venia legis facta censeretur, quae in Regno Neapolitano tantum in gradu feudali positis feudorum successionem patere sineret, ut liquet ex Joann. Dumont. *diplom. t.* 5. *pag.* 576. Desinant igitur oblatrare imperiti rabulae, qui nescio quid abnorme, & legibus investiturae contrarium praedicta pragmatica praescribi blaterant.

VII. Hactenus expositis duo passim opponi video, & quae feuda mere hereditaria suadere queant. Primo enim non desunt investiturarum formulae *pro*

te,

te, *& cui dederis*. Deinde non in Regno Neapolitano quidem, ſed Siculo feudorum conceſſiones paſſim occurrunt *pro te*, *& heredibus quibuſcumque*. Quod ad primum tamen, inficias ego non iverim, res in feudum dari ſolitas a Principe tamquam burgenſaticas, & jure allodii concedi poſſe, modo ne de regalibus ſit controverſia: neque enim, ut alibi oſtendetur, regalium natura patitur, ut in privati cujuſquam directum dominium transferantur. Vid. Afflict. ad *rubr. de feud. non habent. natur. feud.* Multo magis igitur de natura feudi aliquid demere Principi in inveſtitura licet. Proinde ſi feudum conceſſum tibi fuerit *pro te*, *& cui dederis*, reſpectu liberæ alienationis contractibus expediri ſolitæ de feudo pro lubitu ſtatuere poteris, eoque intuitu natura feudi immutata cenſebitur. Hinc ea conceſſionis formula memoratur 2. *conſuet. feud. tit.* 48. ſub

ru-

rubrica *de feud. non-habent. natur. feud.* Enimvero immutationes de feudorum natura conveniri solitæ ſtricti juris videri debent, eaſque a ſpeciebus expreſſis ad omiſſas produci haud oportet. Ut enim feudiſtarum vulgatum carmen edicit, *feudum, quod impropriatur in uno, non cenſetur impropriatum in omnibus*. Vid. Mart. Lambert. *de feud. heredit. not. c.* 2. §. 7. Proinde feudo ita conceſſo, id neque omnino allodium, neque mere hereditarium prorſûs efficitur. Si enim a facultate libere alienandi recedas, in reliquis naturam feudi retinebit, & in defectu heredum feudalium ad heredes extraneos redire non poterit. Ejus enim libera inter vivos alienatione conceſſa, tacita conditio inveſtituræ ineſt, ſi non deſint feudales heredes. In eorum defectu igitur libera inter vivos alienatio interdicta præſumitur, niſi in eum quoque caſum jus alienandi conceſſum fortaſſe

taſſe fuerit. Vide Roſenthal. *ſynopſ. jur. feud. c. 9. concl.* 41. *n.* 14. Ratio ſcilicet Civitatis expoſcit, ut in feudorum conceſſionibus eorum regreſſus ad fiſcum tacite contineatur, ne publicum patrimonium cum Reipublicæ damno in perpetuum delibetur.

VIII. Quod ad alterum complures doctores exiſtimarunt, feudo cuiquam conceſſo, & *heredibus quibuſcumque*, non ſolum feudales heredes, & in gradu ſucceſſionis feudalis poſitos, ſed & quoſcumque extraneos vocatos in inveſtitura videri. Ejus notæ doctores ſunt Siculi ferme omnes, & ex Neapolitanis haud pauci. Enimvero contraria quoque ſententia ſuos patronos habet nec paucos numero, nec pœnitendos, eoſque recenſent Hartmanus Piſtoris *quæſt.* 1. *n.* 38. ac Roſenthal. *ſynopſ. feudal. c.* 2. *concluſ.* 35. Quin Molinæus ingenue profitetur, ſe, quo plura de ea quæ-

ſtio-

ſtione legeret, eo minus poſſe decernere, utra ſententia communior eſſet *in addit. ad Alexandr. conſil.* 30. *n.* 11. Argumentum autem contra fiſcum depugnantium potiſſimum eo redit, vocabulum ſcilicet *quibuſcumque*, infinitum eſſe, eoque in inveſtitura adhibito, pro heredibus etiam extraneis prorogatam ſucceſſionem videri. Qui tamen rem ad juris feudalis regulas revocarunt, verborum aucupia contemnenda cenſent, ut a natura feudorum quam minime recedatur; feudum igitur mere hereditarium nuſquam conſtitutum intelligi, niſi diſertis verbis jure allodii, & ea facultate conceſſum expreſſe fuerit. Id ſerio perpendens Hartmanus Piſtoris rem in medio relinquit, & ſententiam ſuam non interponit *loc. cit.* Ea tamen quæſtio Domitiana videri queat, ſi exigatur ad regulas, quas flagitat ipſa juris feudalis indoles. Ea enim extra primi acquiren-

tis

tis liberos feuda deferri non patitur, niſi id in inveſtitura Princeps expreſſim indulſerit. At cui bono, inquies, verba *heredibus quibuſcumque* in conceſſionibus paſſim adhiberi ſolita? Ea ne fiſco noceant, omnem lapidem movet doctiſsimus Dragonettus. Prædictis igitur verbis eam ſententiam affigit, ut in feudo quidem de jure Francorum per eam in inveſtituræ formulam baroni liceat filium natu minorem in teſtamento præferre; in feudo autem de jure Longobardorum id inter liberos non æque partiri, & alterutrius conditionem meliorem, deterioremve facere *in orig. feud. part.* 1. *c.* 11. §. 15. Verum, cum tanti viri venia dixerim, fortaſſe hic rem acu non tetigit. Ei igitur difficultati ſolvendæ aliam ego viam ineundam puto. Ex jure ſcilicet feudali communi feuda ad fœminas redire nequeunt. Eo enim inſpecto, ſimplici heredum mentione in in-

investitura facta, feuda fœminis non deferuntur, quamvis privilegium suitatis habeant *consuet. feud. l.* 2. *t.* 50. Fridericus quidem II. quod ad Regnum Neapolitanum, ac Siculum, in masculorum defectu feuda fœminis deferri jussit. Ita sane ab eo cautum. At post ipsius obitum ob injuriam temporum ejus constitutionibus controversia sæpe facta. Ita, decollante Friderici auctoritate, Andegavenses Principes avidiores contendebant fortasse, feudorum successionem fœminis non patere; ad Friderici constitutionem ea in re frustra provocari, cujus nomen in Regno nefastum videri oporteret. Proinde ut per id temporis ob fisci indemnitatem formula excogitata fuit *tibi, & heredibus ex corpore*, ita in baronum utilitatem inventa est quoque formula *pro heredibus quibuscumque*, ut inter labantem Fridericianarum constitutionum fortunam in defectu masculorum fœminis

nis in feudorum ſucceſsione controverſia nulla fieret. Stet illud igitur, non minus ex jure feudali communi, quam patrio, quodcumque fuerit inveſtituræ carmen, heredibus non feudalibus feudum deferri non poſſe, niſi jure allodii conceſſio fiat, idque expreſſim in inveſtitura placuerit. Ea vero concluſio ipſius Friderici II. lege firmari queat. Is enim ſeu contractibus, ſeu ultimæ voluntatis arbitrio feuda extra familiam alienari, legari vetuit *conſtit. hac edictali. de revocat. feudor.* Ibi igitur cum in Regno Neapolitano, cum Siculo feuda mere hereditaria omnino ſunt vetita. Sed, his omiſſis, de feudis mixtis ſermonem inſtituamus.

IX. Ex feudis mere hereditariis, iiſque, quæ ex pacto, & providentia vocari diximus, tertium conflatum eſt feudorum genus, quæ *mixta* doctores appellitant. Quod autem ad feuda mixta,

ejusmodi ea sunt, quæ diverso respectu suo feudi non minus hereditarii, quam ex pacto, & providentia qualitatem habent. Ea enim, quatenus ex pacto, & providentia sunt, proximioribus ex familia, atque in investitura vocatis relinqui debent; quatenus & hereditaria sunt, ad eos cum hereditaria qualitate redeunt. Inde fit, ut, si feuda id genus defunctus baro rite, & cum assensu Principis obligarit, ob hereditariam qualitatem feudo hærentem successor recte conveniatur. Indidem quoque promanat, ut ipso quidem feudo proximus heres in testamento privari nequeat, in ejus tamen pretio in alterius favorem gravari possit. Proinde si feudum sit mixtum, id ab hereditate defuncti separari non potest. Vide Afflict. sub *rubric. an agnat. vel fil.* & Henric. de Cocceii *in differt. de feud. heredit. mixt.* §. 32. Longe igitur interest feudum inter

ter ex pacto, & providentia, atque illud, quod mixtum appellari diximus. In illud enim ſuccedit filius, uti filius; in hoc ſuccedit filius, uti heres. In illo, inventario rite confecto, paterna ex feudo debita ſolvere non adigitur; in feudo mixto, ſi paternæ facultates non ſuppetant, licet confecerit inventarium, ad feudi pretium uſque recte convenietur. Vide eumdem Afflict. ſub *rubric. in quib. cauſ. feud. amitt. n. 65. & ſequ.* & Cannet. ad *capit. volentes. pag. 117. n. 13.* Paſſim autem doctores ſtatuunt, feudum mixtum eſſe, ſi ea fuerit adhibita in inveſtitura formula, *concedimus tibi, & heredibus*: ſed nec ego credulus illis. Nam proprie quidem loquendo heredis in inveſtitura vocabulum non ad qualitatem hereditariam, ſed ad liberos referri debet: quamvis inficias ego non iverim, mixtæ qualitatis apud nos feudis eſſe juſſis, eam in Regno Nea-

politano formulam mixta feuda complecti. Nam in Nortmannorum investituris heredis vocabulum eam interpretationem accepit, ut liberos designaret quidem, quibus tamen sub hereditaria qualitate feuda deferri oporteret. Nunc, quod res flagitat, videamus, quæ sit ordinaria feudorum natura in Regno Neapolitano, ac Siculo.

X. Vulgatum est apud cives, & exteros, in Regno Neapolitano, ac Siculo feuda mixta esse; ea igitur liberis, aliisve in gradu feudali positis cum hereditaria qualitate deferri. Totus autem in eo est Rosenthalius, ut mixtorum feudorum absurditatem ostendat; ea perperam effinxisse scribit doctores Neapolitanos, ac Siculos; eis fucum fecisse heredis vocabulum in investituris frequens; inde exculptam qualitatem hereditariam; id inepte factum, cum heredis vocabulum feudorum respectu non

he-

heredes quoslibet extraneos, ſed liberos, & ceteros feudales heredes deſignet *ſynopſ. jur. feudal. cap. 2. concluſ. 33. num. 7. & ſequ.* Ei ſuccinit doctiſſimus Dragonettus *in diſſert. de orig. feudor. p. 1. c. 11. §. 10. & ſequ.* Ulterius autem idem excurrens edicit, contra feudorum naturam id per doctores excogitatum, ut baronum ſtudiis velificarentur, qui omnem movebant lapidem, ut liberum feudorum commercium penes ipſos foret. Sed Roſenthalio, & Dragonetto lubens ego conceſſerim, feuda quidem mixta contra primævam feudorum naturam invaluiſſe; non negarim etiam, ſimplicem *heredis* in inveſtitura voculam qualitatem hereditariam in feudi ſucceſſore deſignare non poſſe: neutiquam tamen ipſis conceſſerim, mixta feuda doctores e cerebro ſuo excudiſſe, ut barones libero feudorum commercio potiri poſſent. Probabilius exiſtimarim, ipſo-

rum Principum Nortmannorum destinato consilio, & ob politicas rationes eam feudis Neapolitanis, ac Siculis qualitatem fuisse inditam.

XI. Eo autem ut perveniamus, illud advertendum in primis, in Regno Neapolitano, ac Siculo Nortmannos potissimum feuda instituisse; eis vero novi Principatus rationem suasisse, ut feuda mere hereditaria a novis suis provinciis prorsus arcerent. Nimirum per id temporis militem mercenarium non alebant Principes, ac vis armorum penes barones erat. Hinc politicæ rationes impedimento erant, quominus feuda mere hereditaria contra patrios mores Nortmanni apud nos constituerent. Ita enim facillime fieri poterat, ut feuda redirent ad homines, quorum fides adversus victores suspecta foret. Novo ipsorum Regno tutius videbatur, si, quod & in Nortmannia jus erat, feuda ex pacto, & pro-

& providentia juberent eſſe. Id tamen ægre tuliſſent barones, quibus in feuda omnis in teſtamento facultas adimebatur. Mediam igitur in ea re viam ingreſſi Nortmanni feuda in Regno Neapolitano, ac Siculo mixta juſſerunt eſſe. Ita enim & penes familias ipſis amicas feuda permanebant, & facultas baronibus relinquebatur non feudi quidem ademptione, ſed pretii reſtitutione liberos gravare, ſi vellent. Hæc ſane evincunt, Nortmannos Principes feuda mixta eſſe juſſiſſe. Sed & decretorium ea in re videtur, quod Rogerius, & Fridericus II. conſtitutionibus quiſque ſuis de dotario mulierum in feuda conſtituendo ſtatuunt. Si enim ſub Nortmannorum, ac Suevorum regimine feuda fuiſſent ex pacto, & providentia, ego quidem haud video, quo jure barones mulieribus in feuda dotaria conſtituere poſſent. Nam per dotarii conſtitutionem,

quod in feudis ex pacto, & providentia leges vetabant, baronis heres, quamdiu vidua superstes esset, contra pacta in investitura conventa feudi usufructu carebat. Eodem pertinet, quod Gvilelmus I. fratribus tria, vel plura habentibus feuda concessit, ut eorum unum dotis nomine possent sorori dare, si res burgensaticæ in hereditate deessent *const. fratribus. de fratrib. obligant. part. feud.* Inde enim liquet, filios, uti patris heredes, sorores ex feudo dotare oportuisse, neque eam necessitatem vitasse, quasi ex pacto, & providentia feuda in Regno forent, & in quæ filius, uti filius, admittendus esset. Ceterum solemnis in Nortmannorum investituris formula concessionis erat *tibi, & heredibus.* Vocabuli tamen ambiguitate abusi barones feuda per Neapolim, ac Siciliam vere hereditaria contendebant esse: quod plane adversabatur & Rogerii

con-

conſtitutioni *ſcire volumus. de jurib. rer. regal.* & Friderici II. legi *in conſtit. hac edictali. de revocat. feud.* Proinde ne qua eam ob rem ſupereſſet vitilitigandi cauſa, ſub Principibus Andegavenſibus ſolemnis in inveſtitura formula adhiberi cœpit *tibi, & heredibus ex corpore.*

XII. Ex dictis hactenus facile eſt intelligere, cur feuda ex pacto, & providentia, ſeu quæ *pactionata* Siculi doctores appellant, in Regno Neapolitano vix uſquam occurrant; apud Siculos vero paſsim inveniantur. Nimirum prædicta formula *tibi, & heredibus ex corpore* ab Andegavenſibus recens inventa ita fuit accepta, quaſi apud Neapolitanos feuda mixta eſſent, quam fortaſſe legem, ut vidimus, feudis dixere Nortmanni. Aragonenſes apud Siculos non una ſub formula feuda conceſſerunt: ita vero apud ipſos diverſitas feudorum e-

na-

nata. Nam si concessio facta foret primo acquirenti, *& filiis*, feuda pactitia, seu ex pacto, & providentia videri oportebat. Sin accipienti, *& heredibus ex corpore*, feuda mixta constitui videbantur. Sin accipienti, *& heredibus*, feuda mere hereditaria inde perperam exculpebant jurisconsulti Siculi. Perperam inquam. Ut enim supra evicimus, heredis in investitura vocabulum non civiles quidem heredes, sed liberos, & reliquos cognatos designat, quibus ex præscripto legum feudorum successio patere potest. Ea vero in feudorum concessionibus formularum diversitas apud Siculos sub Aragonensibus frequentissima fuit, idque præter alia ostendunt concessionum diplomata nuper evulgata per Canonicum Gregorium *in biblioth. scriptor. tom.* 2. *pag.* 502. *& sequ.* Nunc, quod superest, de postrema feudorum divisione in jure Neapolitano, ac Siculo videamus.

XIII.

XIII. Ad jus quoque Neapolitanum, ac Siculum potiſsimum pertinet altera feudorum diviſio, qua alia *de jure Francorum*, *alia de jure Longobardorum* dicuntur eſſe. Quod ad feuda de jure Francorum, ejuſmodi ea ſunt, in quæ ſuccedit tantum maſculus natu major. Ea de jure Francorum dicuntur, quia iſthæc in feudis ſuccedendi ratio apud Francos primum obtinuit, quamvis & in alias Gentes ſtatim fuerit invecta. Mirum autem videri queat, cur apud Francos maſculis tantum natu majoribus feudorum ſucceſſio delata fuerit, cum præſertim apud ipſos à terris quidem Salicis mulieres excluderentur, in eas tamen liberi virilis ſexus qua majores, qua minores natu ſuccederent. Ita enim *in lege Salica reform. tit.62. De terra vero Salica nulla portio mulieri veniat: ſed ad virilem ſexum*, ad maſculos igitur æque omnes, *tota terræ hereditas*

per-

perveniat. Omiſſis aliorum èa in rè conjecturis, in ejus inſtituti ratione reddenda ita ego rationes inierim. Nimirum alibi evicimus, apud ipſos Francos ad nonum uſque ſæculum ſucceſſioni in feudis jure ordinario locum non patuiſſe; primum autem ſub Carolo Calvo feuda heredibus fuiſſe delata. Enimvero, feudis ad liberos redire juſſis, de eorum ſucceſſione nullæ leges ab initio ſcriptæ. Ita in legum defectu opportunum apud Francos fortaſſe viſum, ut in feudis deferendis ab ipſius Regni ſucceſsione exemplum deſumeretur. Priores quidem Reges ſecundæ ſtirpis Principatum inter liberos partiti fuerant, ut conſtat exemplo Pipini, & Ludovici Pii. Id inconſulte factum, ac triſtia inter fratres infenſos bellorum exempla docuerunt, rationem Principatus conſtare vix poſſe, ubi inter plures divideretur. Hinc comperto, Regnum melius ab uno geri, ſub tertiæ

tiæ ſtirpis initia, quo tempore in feudis firmata ſucceſsio, in Francorum Regno prælatus tantum maſculus natu major. Ita in feudis quoque tantum maſculo natu majori ſucceſsionem deferri placuit Regni ipſius exemplo, quod maximum veluti feudum videbatur. Eo fortaſſe accedebat & illud, feudorum ſervitium ab uno melius, quam a pluribus præſtari poſſe. His ferme de cauſis moribus ipſis apud Francos invaluit, ut tantum ad maſculum natu majorem rediret feudorum ſucceſsio: ea proinde de jure Francorum ſunt appellata.

XIV. Quod ad feuda de jure Longobardorum, ita dicuntur, quæ & dividua ſunt, & in quæ liberi virilis ſexus æque omnes ſuccedunt. Ea de jure Longobardorum appellantur, quia iſthæc in feudis ſuccedendi ratio apud Longobardos Tranſtiberinos primum obtinuit. Apud ipſos enim feudis receptis, & in li-

liberos transmitti jussis, ea liberis deferri placuit allodiorum exemplo, ad quæ per veteres Longobardorum leges masculi æque omnes admittebantur *in Longob. libr.2. tit.* 4. *l.* 2. & 14. Ea ipsa autem in feudis succedendi ratio in jure feudali communi præscribitur *consuet. feud. libr.* 2. *tit.* 11. Eadem succedendi ratio adhuc obtinet apud Neapolitanos, ac Siculos in feudis, quæ sub juris Longobardici lege concessa fuerint. Id ipsum tamen caute intelligatur, oportet. Primo enim ex jure feudali communi *in libr.* 2. *tit.*55. in feuda, quæ ducatus, marchionatus, aliamve similem dignitatem habent, cum in Regno Neapolitano, cum Siculo succedit tantum masculus natu major, licet sub lege juris Longobardici concessa fuerint. Vid. Afflict. ad *libr.* 1. *feud. rubr.* 19. *n.*2. & *libr.* 3. *pag.*702. *n.* 1. & 6. *edit. Francf.* Deinde ipsa feuda sub lege ju-

ris

ris Longobardici primum concedi folita, licet prædicta dignitate careant, ad mafculum natu majorem redire debent, fi in noviffimis inveftituris fub jure Francorum conceffa fuerint. Nam & in feudo concedendo Princeps, quam velit, legem dicere in inveftitura poteft, & fifci intereft, Francorum potius, quam Longobardorum jure cenferi feudum. Si enim de jure Longobardorum id fuerit, ejus quidem fucceffio inter plures difcinditur, & ob cognatorum in gradu feudali defectum vix ad fifcum redire poteft. Quod igitur cavet jus Neapolitanum, ac Siculum, ne feudi naturam immutare liceat, eo potiffimum pertinet, ne feuda cum fifci fraude de jure Francorum in Longobardorum jus convertantur. Hinc cum per ætatem Alfonfi Siculi quidam barones feudorum naturam in eis alienandis immutaviffent, eoque facinore ea veniffent in com-

missi causam, eam noxam ipsis Princeps interpellatus remisit. Enimvero eam indulgentiam illis Alfonsus ita concessam intelligi jussit, ut alienationes factæ censerentur sub lege Francorum, modo ne aperte constaret, feuda sub jure Longobardorum penes alienantem fuisse *capit. Alfons.* 454.

XV. His ita præstitutis, ex ipsa investituræ formula decerni debet, de Francorumne, an Longobardorum jure sit feudum. Enimvero si inde definiri nequeat, utrius juris id sit, doctores communi ferme consensu statuunt, in dubio feudum de jure Longobardorum censeri oportere. Eorum potissimum argumentum est, quod ex Friderici II. constitutione apud nos ordinaria feudorum natura sit, ut jure Longobardorum regantur: speciale ajunt esse ex prædicta Friderici lege, ut feuda quædam censeantur de jure Francorum *constit. ut de*

suc-

ſucceſſionibus. de ſucceſſ. nobil. in feud.
Ut tamen ſunt res hodie, id perperam dictum exiſtimarim. Scilicet id quidem per Friderici ætatem admitti poterat, & cum ſub Nortmannis, ac Suevis feuda pleraque omnia penes Longobardos erant; eorum vero paucifsima ab iis poſsidebantur, qui jure Francorum vivebant. Enimvero rerum arbitrio in Andegavenſes translato, mutata eſt feudorum ratio, ac diverſa in eis inſtituta evaluerunt. Exinde enim cum ut facilius ad fiſcum feuda redirent, cum ob ipſorum baronum ſtudia, qui poſteritatem ſuam nobiliorem fore putabant, ſi dividua feuda non eſſent, pleræque omnes inveſtituræ ſub lege Francorum ſunt expeditæ. Proinde hodie cum fiſci, cum ipſorum baronum rationes expoſcunt, ut in dubio feuda potius ſub jure Francorum conceſſa exiſtimentur. De eo autem juris articulo apud Siculos quidem minus

dubitare licet. Quod ad eos enim expressim edixit Alfonsus, ut in dubio feuda censerentur de jure Francorum *cap.* 454. Apud Neapolitanos vero decretorium ea in re putem Caroli II. capitulum *considerantes*. Ibi enim generatim cavetur, ut in feuda succedatur, *primogenituræ*, *&* *masculini sexus prærogativa servata*. Igitur ea lege lata generale in feudis jus Francorum evasit, atque in ambiguis investituræ formulis ea quidem lege feuda deferri debent. Cum vero ad jus commune favorabilem censeri regressum oporteat, ipsum feudum sub lege Longobardorum concessum ad solum natu majorem redire debet, si, conniventibus fratribus natu minoribus, tamquam ex jure Francorum possessum a patre fuerit. Cum enim in Regno Neapolitano mixta sint feuda, & qualitatem quoque hereditariam complectantur, liberi natu minores factum parentis im-

impugnare nequeunt. Igitur multo magis in jus Francorum feudum translatum videbitur, ſi jure Longobardorum acceptum feudo de jure Francorum per poſſeſſorem fuerit adjunctum, & unam inde baroniam is conflari decreverit. Conf. Matth. de Afflict. *in conſuet. feud. pag.* 706. *n.* 13. *&* 15. & Capyciumlatr. *conſ.* 111. *n.* 29.

TITULUS IV.

De diverſis feudorum ſpeciebus ex jure Neapolitano, ac Siculo.

AD rectam eorum intelligentiam, quæ de diverſis feudorum ſpeciebus ex jure Neapolitano, ac Siculo dicturi ſumus, illud advertendum in primis, jure quidem feudali communi feudum dare poſſe non tantum Principes,

qui summo utuntur imperio, sed eos etiam, qui ab alio feudum acceperint. Hinc in consuetudinibus feudalibus tres baronum ordines passim occurrunt, *capitaneorum* scilicet, qui feudum acceptum summæ potestati referunt, *valvasorum*, quibus feudum capitanei dederint, *valvasinorum* denique, quibus a valvasoribus ipsis feuda concessa fuerint. Instar omnium sit locus *in consuet. feudal. libr.* 2. *t.* 10. Idem institutum obtinuit apud Neapolitanos, ac Siculos. Sane passim liquet ex Appulorum baronum catalogo per Carolum Borrellum ex Regiæ Cameræ tabulario excripto *in vindice Neapolitanæ nobilitatis*, apud nos feuda non tantum a capitaneis, sed & a valvasoribus fuisse concessa. Id tantum ea in re interest jus Neapolitanum inter, & consuetudines feudales, quod, jure quidem Neapolitano inspecto, a capitaneis feuda aliis concedi nequeant, nisi subinfeudatio as-

sen-

ſenſu Principis confirmetur *conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ. de revocat. feudor.* Verum per conſuetudines feudales, aſſenſu Principis non impetrato, capitaneo licet ſeu toto feudo, ſeu ejus parte quotacumque alterum inveſtire *conſuet. feudal. libr. 2. t. 9.* His initiis cum paſſim alibi, cum in Regno Neapolitano, ac Siculo enata *ſuffeuda*, quæ vocant, quæ non ab ipſo Principe, ſed a domino intermedio conceduntur. Eadem tamen & jure feudorum cenſentur, & generali feudi vocabulo deſignantur. Suffeudis autem apud Neapolitanos, ac Siculos inſtitutis, noſtrates doctores quatuor feudorum ſpecies diſtinxerunt. Ea vero quadripartita feudorum diviſio noſtris legibus natales ſuos unice refert acceptos, & ob ſingularia utriuſque Regni inſtituta apud Neapolitanos tantum, ac Siculos uſum habet. Ex utriuſque autem Regni jure prima feudorum ſpecies

ea complectitur, quæ *quaternata simpliciter* dici solent: altera, quæ *quaternata secundum quid* appellantur: tertia, quæ *plana*, *& de tabula* dicuntur: quarta denique, quæ vulgo *tenasiæ*, rectius *tenesiæ*, aut *attenesiæ* dictitantur. Verum, ut infra liquebit, postrema isthæc non feuda quidem, sed minutulæ potius partes e feudis decerptæ videri debent. De singulis pro instituto videbimus.

II. Quod igitur ad feuda *quaternata simpliciter*, ejusmodi ea sunt, quæ *in capite*, in sua prima origine scilicet, & , ut dici solet, *immediate* ab ipso Principe fuerint accepta. Ea vero quaternata dicuntur, quia apud Siculos quidem in Regiis quaternionibus in tabulario *conservatoriæ*, quam vocant, asservatis descripta prostant; apud Neapolitanos vero in quaternionibus Regiæ Cameræ exhibentur. Utrobique autem prædicti quaterniones complectuntur in-

ve-

veftituras feudorûm omnium, quæ feu immediate, feu mediate a Principe conceffa fuerint cum Regiis affenfibus in conceffione præftari folitis. Cum vero in Regno Neapolitano barones *adhoas*, & *relevia* inferre in fifcum oporteat, apud nos in Regiæ quoque Cameræ tabulario *cedularium*, quod vocant, extat, in quo adhoas, & relevia ex fingulis feudis præftari folita invenire licet. Sed ea de re in tempore latius commentabimur, ubi liquebit etiam, quid earum præftationum intuitu interfit hodie Neapolitanos inter, ac Siculos. Ceterum ab ipfis fortaffe primordiis Nortmannici Principatus, quæ hodie cedularium, & quaterniones exhibent, libri, quos *defetarios* appellarunt, exquifite complectebantur. Iis vero deperditis inter tumultum adverfus Gvilelmum I. Panormi excitatum, opera feu Matthæi notarii, feu alterius cujufcumque ftatim

 funt

sunt restituti, ut conjicere licet ex Hugone Falcando *de calamit. Sicil. apud Caruf. biblioth. Sicul. t.* 1. *pag.* 440. Cum veteribus tamen defetariis periit quoque vocabulum, & sub ipsis fortasse Nortmannis defetarii *quaterniones dohanæ* sunt appellati. Saltem ad defetarios designandos *quaternionum dohanæ* vocabulum haud semel usurpat Fridericus II. Exemplum habes *in constit. magnæ curiæ. libr.* 1. *tit.* 40. Verum hodie, detracto dohanæ vocabulo, ejusmodi libri *quaterniones* dictitari solent.

III. Quod ad feuda, quæ *quaternata secundum quid* appellantur, ejusmodi ea sunt, quæ immediate quidem a duce, marchione, comite, aliove barone capitaneo, mediate autem ab ipso Principe valvasori concessa fuerint. Ea igitur sine assensu Principis frustra concessa intelliguntur *constit. constitutionem divæ memoriæ. de revoc. feud.* Ea quaterna-

ta

ta ſecundum quid appellantur, quia & in Cameræ quaternionibus ſunt ipſa deſcripta, & Regis etiam beneficio poſſidentur, a valvaſore tamen baroni quoque capitaneo accepta referri debent. Eo reſpectu igitur *quaternata ſecundum quid* primus Andreas de Iſernia, plaudentibus pragmaticis, ea dixit. Cum vero valvaſor ejuſmodi feudum a barone capitaneo immediate agnoſcat, is veluti dominus directus videri debet. Proinde & adhoam, & relevium ipſi baroni capitaneo perſolvi placuit *conſtit. poſt mortem. de mort. baron. nunc. Reg.* Licet autem feudo ſecundum quid quaternato ſine aſſenſu Principis ſubvaſſallus inveſtiri nequeat, recepta tamen ſententia fori eſt, in re dubia Principis aſſenſum interceſſiſſe, eumque ob temporis vetuſtatem fuiſſe deperditum. Eo igitur nomine ſubvaſſallo moleſtia creari nequit. Conf. de Marin. *allegat.* 129. *n.* 7. *&* *ſequ.*

sequ. Id. ipsum de relatione in Cameræ quaterniones intellige. Proinde quamvis omnia in Regno castra quaternata secundum quid censeantur Afflict. ad *d. constit. n.* 5. si tamen castrum aliquod in quaternionibus descriptum non inveniatur, id possessori fraudi non erit. Nam, inspecta antiquitate temporis, omnia ab initio rite gesta præsumi debent. Vide Lanarium *consil.* 94. & Altimar. ad Rovit. *decis.* 42. *n.* 33.

IV. At vero nodus hic occurrit dignus interprete. Nimirum supra evicimus, in feudo secundum quid quaternato baronem capitaneum valvasoris respectu directum veluti dominum existimandum, eique ea de causa cum relevium, cum adhoam solvi oportere. In disceptationem igitur venire queat, num ejusmodi feudum in defectu heredis in gradu feudali ad ipsum Principem, an ad baronem, qui subinfeudarit, redire debeat. Ea

Ea in re longe intereft jus vetus inter, ac receptos hodie mores apud Neapolitanos, ac Siculos. Veteri utriufque Regni jure ab ipfis Nortmannis fortaffe lato in heredis feudalis defectu feudum fecundum quid quaternatum ipfi Principi deferebatur, atque ab ejus pendebat arbitrio, quem in feudo fibi delato præferre vellet. Saltem fub Friderico II. certi juris id erat, ut conftat ex *conftit. poft mortem. de mort. baron. nunciand. Reg.* Ibi enim Fridericus edicit, ut, feudi fecundum quid quaternati poffeffore mortuo, mors ejus a barone capitaneo ftatim Principi nuncietur; ab ipfo autem Principe decernatur, quis in defuncti locum fubftituatur; electo a Principe ftatim tradatur feudi poffeffio; ab eo per baronem nil ultra exigatur, nifi relevium *de more* præftari folitum, idque quantitatem decem unciarum vetat excedere. Ea lex vero per Friderici æta-

ætatem politicam conſtitutionem ſpectabat. Per id temporis ſcilicet ad militiæ perſonale munus barones adigebantur. Proinde ab ipſo Principe de ſucceſſore ſubvaſſalli ſtatui oportebat, ut ipſe decerneret, quis in præliis utiliorem ei operam navare poſſet. Enimvero ubi adhoæ reale munus pro militia præſtari placuit, in Regno cum Neapolitano, cum Siculo alias rationes ſequuti ſunt Principes. Ita ab ipſorum Aragonenſium ævo in inveſtitura baronibus concedi cœpit, ut de feudis quaternatis pro arbitrio ſubvaſſallos inveſtire poſſent, modo Regius obtineretur aſſenſus. Vide Afflict. ad *d. conſtit. n.* 2. Ea igitur facultate utuntur hodie in utroque Regno barones non ob capitulum Honorii Pontificis *ſi contingat*, ſed ob mores pridem receptos, & ipſam inveſtituræ legem.

V. Quod ad feuda, quæ *plana*, & *de tabula* dici ſolent, in vocabuli ratione red-

reddenda doctores incertiffimos videre licet inferos ; fuperos, medioxumos. Quidam ea feuda plana dicta arbitrantur, quod olim barones in planitie confiftentes ea concederent. Alii ex Ducangio fapientes *in voc. homagium planum* feudum planum intelligunt, ob quod non folidum, feu ligium homagium jurato promittitur, fed fimplex, & in quo alius tamquam fuperior excipitur. Planum igitur *fimplex* interpretantur, quia in fide promittenda fcilicet excipiatur fidelitas vel erga Principem, vel alium fuperiorem dominum. Verum, ut infra liquebit, feudum planum ab ipfo Principe concedi poteft; qua quidem in fpecie homagium fimplex promiffum videri nequit. Aliunde quod ex veteri Regni confuetudine feudo plano *de tabula* additur, aperte oftendit, feudum planum abfolute pofitum latius intelligi oportere, ac feudi plani feudum planum,

& de

& de tabula ſpeciem ſingularem eſſe.

VI. Ut igitur ejus dictionis veram notionem inveſtigemus, feudum planum potius dictum putarim, quia in prædiis planis, ſeu agrorum planitie ſolebat plerumque conſtitui. Eo me trahit, quod Ducangius affert ex *feud. Campan. in camer. comput. Pariſienſ. voc. planum. Omnia autem feuda, quæ in prædicta villa tenentur ſive in plano, ſive in boſco, ſive in furnis.* Sed in eam ſententiam decretorium mihi videtur, quod ipſe Fridericus II. *in conſtit. poſt mortem.* feudum planum *terram planam* appellat. Cum Friderici dictione convenit, quod in ea voce affert Ducangius ex *ſtabil. Blanchæ comitis Trecenſis ann.* 1212. ex Bruſſello *de. uſ. feud. Campan.* Sic enim ibi, *Si aliquis baronum deceſſerit, & plures reliquerit filias, primogenita filiarum habeat caſtellum; aliæ habeant planam terram.* Si verum id fuerit, feudum

dum planum cum in capite, cum ſecundum quid quaternatum, cum de tabula eſſe poteſt. In capite quaternatum erit, ſi per Principem ipſum conceſſum immediate fuerit. Secundum quid quaternatum cenſebitur, ſi concedi a barone ſoleat, & in Cameræ quaterniones referri. De tabula cenſeri debet, ſi neque in Cameræ quaterniones, neque in cedularium, ſed tantum in baronis tabulas relatum id fuerit. Tabularum autem vocabulo hic intelligenda baronis ſcriptura, quæ olim militare ſervitium, in præſenti adhoam a ſubvaſſallis ei præſtandam complectitur. Tabulæ enim apud ipſos veteres ſcripturam deſignabant, in qua tributa deſcripta erant: hinc & tabularius dicebatur, qui tributis exigendis præerat. Ita apud Gruterum *pag.* 1100. *n.* 7. *tabularius XX. hereditatium.* Vid. Jacob. Gothofr. ad *l.* 1. *C. Theod. de tabul.* Hæc ipſa feuda reſpicit Frideri-

ricus II. *in constit. post mortem*. ubi ea *terram planam* appellasse diximus.

VII. Quod ad tenesias, quas *attenesias* dici malim, eas perperam confundit Afflictus cum feudis non quaternatis. Sunt enim attenesiæ prædiola per barones e feudis decerpta, ac sub ignobili servitio, annua præstatione scilicet pecuniæ, vel specierum plerumque in perpetuum rusticis concedi solita. Vide Rovitum *decis. 42. n. 2.* Proinde feuda rustica appellantur, neque ullam nobilitatis imaginem possessori afferunt. Nimirum in reliquis feudis concedendis militiæ onus possessoribus imponebatur; militiam sequebatur nobilitas. Ita qui reliqua feuda possidebant, cum ad militiæ munus adigerentur, feuda nobilia habere dicebantur. Ignobile videbatur onus pecuniæ, specierumve præstatio. Hinc attenesiæ feuda rustica sunt appellata. Eæ tamen vera feuda videri nequeunt, & ad prædia em-

emphyteutica proxime accedunt : quin ab allodiis eæ non differunt. In eas enim neque ex feudali jure ſucceditur, ac de iis pro arbitrio poſſeſſores ſtatuere poſſunt ſeu contractu, ſeu teſtamento. Id tantum ex feudalitate habent, quod, ſi poſſeſſores inteſtati, & ſine legitimo herede obeant, atteneſiæ ad feudum, unde decerptæ ſunt primum, redire debent. Si vero factum id fuerit, integrum baroni erit, ut & feuda plana & de tabula, eas vel ſibi cum feudo retinere, vel aliis ſub ſolito cenſu concedere *conſtit. conſtitutionem divæ memoriæ. de revocat. feudor.* Proinde inibi Fridericus eas *excadentias* vocat, quaſi res caducas, & baroni tamquam fiſci procuratori in rem ſuam delatas. Eo tamen vocabulo non tantum atteneſiæ, ſed & feuda plana & de tabula intelliguntur. Ea enim, ut vidimus, ſub eadem lege baronibus deferuntur, ſi ipſo-

rum possessor sine herede feudali decesserit.

VIII. Antequam hinc abeamus, nodus hic resolvendus interpretis opera haud indignus. Nimirum supra monuimus, feuda quoque plana & de tabula ad baronem in capite redire, si subvassallus sine herede in gradu feudali decesserit. Feudalis diversus est succedendi gradus, prout vel ex jure feudali communi, vel ex jure Neapolitano de successione sit decernendum. Dubium igitur videri queat, utrum in feudo plano & de tabula agnati ad septimum usque gradum secundum consuetudines feudales baroni præferantur, an ex jure Neapolitano potius a barone excludantur ultra quartum gradum cognati positi. Nusquam ego doctores magis consentientes invenio, quam ubi prodenda sit fisci causa. Nam fisci quidem interest, in ipsis feudis planis & de tabula successionem arctius

ctius coerceri, ut, ſi quando feudum in capite ad eum ſit rediturum, ad fiſcum ſolidum redeat, neque delibatis inde prædiis imminutum. Ea in re triplex ſententia circumfertur. Pauci, quippe boni, cenſuerunt, in ea feuda ſuccedi oportere ſecundum Friderici II. legem *in conſtit. ut de ſucceſſionibus. de ſucceſſ. nobil. in feud.* In ſententia ita dicenda præivit Marinus de Caramanico vetuſtiſſimus ille conſtitutionum gloſſator ad rubricam prædictæ conſtitutionis, licet per ſummam calumniam in contrariam ſententiam illum trahant homines ſeu doloſi, ſeu imperiti. Marinum de Caramanico ſequitur Lucas de Penna ad *l.* 1. *C. de impon. lucrat. deſcription.* &, ne ſingulos memorem, Regens Lanarius *in repet. feudal. c.* 1. *de ſucceſſ. feud. n.*10. Alii numero longe plures exiſtimarunt, ſucceſſionem in ejuſmodi feudis ſecundum jus feudale com-

mune deferri oportere. Eos late congerit Rovitus *decis.* 42. Alii denique, ne minus sapere videantur, successionem in feuda plana & de tabula ulterius extendunt. Ea enim secundum regulas Romani juris quibuscumque cognatis deferri statuunt, etsi decimo gradu a defuncto distent. Postremam hanc tamen sententiam ipsum feudorum institutum in jure Romano prorsus incognitum plane refellit. Altera, quæ ex regulis juris feudalis communis in feudis id genus successionem metiri jubet, aperte adversatur Friderici constitutioni *ut de successionibus*. Ibi enim Fridericus de feudorum successione cavens legem suam in feudis omnibus servandam edicit, seu a Principe in capite, seu ab aliis teneantur, neque usquam in ea excipit, quæ plana & de tabula dici solent. Superest igitur, ut dicamus, in ejusmodi feuda eodem modo, quo in qua-
ter-

ternata ſuccedi oportere. Id autem ſi admittatur, privilegium Philippi II. *in pragm.* 33. *de feud.* latius etiam extenſum a Carolo VI. *pragm.* 38. *eod.* vim ſuam exerit in feudis quoque, quæ plana & de tabula vocari diximus. His vero legibus conceſſum, ut, omiſſa fœmina proximiori, feudum legari jus eſſet remotiori maſculo, qui in defectu fœminæ proximior in gradu feudali foret. Ea autem ſententia cum ipſo ſupplici baronum libello convenit, quo cum pro feudis quaternatis, cum non quaternatis venia iſthæc expreſſim poſtulata fuit. Vide Joſeph. de Roſ. *in prælud. feudal. lect.* 10. *n.* 5. *& ſequ.*

TITULUS V.

De rebus, quæ in feudum dari possunt, & ipsa feudorum investitura.

CUm feuda ab initio stipendii militaris rationem habuerint, atque ad sustinendos milites primum sint instituta, sua sponte liquet, feuda constitui oportere in rebus, unde alimenta militibus certiora suppetant. Eo accedit, quod ubi feuda perpetua cœperunt esse, dominium eorum utile baroni cessit; directum penes Principem mansit. Ipsa igitur feudalis instituti ratio impedimento fuit, quominus feuda constituerentur in rebus, in quibus aut duplex illud dominium distingui non posset, aut suos effectus haud pareret. Ita invaluit, ut feuda recta constitui jus tantum esset aut in rebus immobilibus, aut certe in iis,

quæ

quæ jure immobilium cenſerentur. Id ſpectans collector in ſuo male conſarcinato centunculo ita edicit *conſuet. feud. libr. 2. tit. 1. Sciendum eſt, feudum non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur, poſſe conſiſtere*. Hinc feudum degenerans videri debet, ſi aut in nuda pecunia, aut in aliis rebus mobilibus, & ſolo feudali non cohærentibus ſit conſtitutum. Nam pecunia quidem, præterquam quod uſu conſumitur, duplex illud dominium recipere nequit. Res vero aliæ mobiles ita ſunt comparatæ, ut certa inde alimenta expectare non liceat. Contra feudum recte conſtitutum intelligetur non tantum in prædiis, ſed in rebus quoque mobilibus, quæ ſolo feudali hærent, aut in rebus incorporalibus, quæ civiliter jure immobilium cenſeri ſolent. Solo feudali hærent exempli gratia piſtrina ſeu aquis,

 ſeu

ſeu mulis agitari ſolita, armenta, greges, & quæ alias ad fundi inſtrumentum pertinere dicuntur. In eis igitur veluti per acceſſionem feudum recte conſtituitur, & jure feudi cenſentur. Proinde, ſi feudum in heredis feudalis defectu ad fiſcum redeat, ea reſtitui fiſco debent, ſi extent: ſi non extent, baronis heres ad æſtimationem exolvendam adigitur. Vide Roſenthal. *in ſynopſ. jur. feud. c.*4. *concluſ.* 4. Res etiam incorporales, ſi rebus immobilibus hæreant, jure immobilium civiliter cenſeri debent. Ejuſmodi ſunt vectigalia, juriſdictio, ac generatim omnia, quæ jura Majeſtatis, ſeu regalia appellantur. In iis igitur feudum recte conſtitutum intelligetur. Vide Adamum Struvium *ſyntagm. jur. feud. c.* 6. *aphor.*13. Enimvero ſequior ætas his regulis non ſemper hæſit. Nam non ſolum in aliis incertis reditibus; ſed & in ipſis miſſarum ſtipendiis privilegiariorum al-

ta-

tarium feuda constituta novimus. Vid. Robertf. in Carol. V. *tom.* 2. *not.* 8.

II. Dubium tamen videri queat, num quilibet, qui de rebus suis statuere potest, eas in alios feudi titulo transferre queat, an & jus summi imperii in eo requiratur, qui in res suas feudum immediate in capite constituere velit. Si prima feudorum origo inspiciatur, exploratum videtur, feuda, ut militiæ adjutandæ causa primum instituta fuerunt, ita tantum per eos constitui potuisse, qui & justum bellum possent indicere, & summo uterentur imperio. Enimvero gliscente barbarie inter increbrescentes Europæ turbas res eo recidit, ut cuivis in res suas feudum constituere liceret. Id necessario factum oportuit, ubi in tardo legum auxilio seu ad arcendas, seu ulciscendas injurias jus inferendi belli sibi privati homines passim asciverant. Nimirum per id temporis ob infirmitatem

tem Principum ipsis privatis ob acceptas injurias relicta ultio, & ex veteri Germanorum more amicorum inimicitias & suscipere necesse erat, & bello privato persequi. Conf. Robertf. *in Carol. V. tom.* 2. *not.* 21. Ita; qui ditiores forent, milites sibi per feuda parabant, quorum globo circumdati illatas injurias ulciscerentur. Hinc intelliges, cur & ipsi Episcopi, abbates, abbatissæ ad arcendas rerum Ecclesiasticarum invasiones per feuda in prædiis Ecclesiasticis constituta quærerent sibi defensores, quos prisca ætas *advocatos Ecclesiarum* vocavit. Ii enim, ut scribit Brussellus *in us. feud. tom.* 1. *pag.* 144. *armis omnia, quæ erant Ecclesiarum, viriliter defendebant, & vigilanter protegebant.* His initiis feuda quoque oblata enata complura. Nam per *læsinwerpum* allodia seu Principi, seu potentioribus offerri solebant, ut jure beneficii oblator ea recipe-

pe-

peret; ita vero adversus invasores defenderetur tutela ejus, cui res suas sub ea lege obtulisset. Vid. Marculf. *libr.* 1. *form.* 13. Cum vero feuda vel ab ipso Principe, vel a privato quopiam obtineri possent, ea in *ligia*, & *non ligia* sunt divisa. Ligium enim feudum dixerunt, ratione cujus fidelitatem, & auxilium adversus omnes baro præstare domino adigeretur. Non ligium appellarunt, in quo in homagio jurato promittendo dominus alius superior excipiebatur, & contra quem adjutare dominum baro non cogeretur. Hinc homagium in ejus solemni formula *excepto Imperatore* promitti dicitur *consuet. feud.* 2. 7. His ferme de causis factum, ut, quo tempore feudales consuetudines colligebantur, quivis in res suas pro arbitrio feudum constitueret, idque veluti recepti juris ibi passim a collectore proponatur. Instar omnium sit locus

con-

consuet. feud. libr. 1. *t.* 7. Enimvero in Civitate recte constituta jus publicum, & ipsa ratio Principatus non patitur, ut, a privato quispiam, immediate in capite feudo accepto, ei fidelitatem, & feudale servitium jurato promittat. Proinde ab ipso saltem Friderico II. in Regno cautum, ne quis in rebus suis feudum in capite constitueret *constit. quia frequenter. de homin. non tenend. ration. terr. vel feud.*

III. Porro ut feudum rite constitutum intelligatur, ejusque in accipientem utile dominium transferri possit, quod de eo juris articulo alibi generatim monuimus, causa acquirendi proxima, & remota requiritur. Causa acquirendi remota titulum acquisitioni præstat, & dominio mox acquirendo viam veluti munit. Causa acquirendi proxima ipse est acquirendi modus, & dominium statim in baronem transfert.

Quod

Quod igitur ad feudi acquirendi titulum, is ipso contractu constat, quo Princeps sub feudali nexu, & lege fidelitatis aliquem sibi vassallum eligit. Eam conventionem ex jure feudali communi aut coram paribus Curiæ, aut in eorum defectu coram testibus saltem extraneis expediri oportebat *consuet. feud. libr. 2. tit. 32. & sequ.* Hinc instrumentum ejus conventionis causa conscribi solitum *breve testatum* passim in jure feudali dicitur, quia scilicet breve, seu instrumentum ipsum testibus subscribi oportebat. Indidem & dubiæ investituræ controversia aut per pares Curiæ, aut per breve testatum dirimi jubetur *consuet. feudal. libr. 1. tit. 4.* Investituræ negotium jure feudali communi solemnius expediri placuit cum ob falsi suspicionem, cum ob infeudandi facultatem promiscue competentem. Verum ab initio Nortmannici Principatus apud Neapolita-

ta-

tanos, ac Siculos invaluit, ut præcedens illa cum fisco conventio nudo Principis diplomate includeretur: id baronis *privilegium* appellatur a Friderico II. *in constit. dignum, de jur. suo Cur. observand.* & passim hodie *charta investituræ* dicitur. De ipsa investitura igitur pauca monebimus.

IV. Feudo ex pactis conventis rite constituto, utile ejus dominium per possessionis traditionem in baronem transfertur. Ea vero traditio in jure feudali passim *investitura* dicitur; quamvis hodie investituræ vocabulo ipsum concessionis diploma designari soleat. De ejus vocis etymo, tamquam pro aris, & focis, acerrime certant interpretes, alii Latinam, alii, ut exquisitius sapere videantur, Germanicam originem ei asserentes. Præstat tamen, Latinam originem ei tribuere. Nimirum & Latini locupletes auctores *investire* dixerunt pro

ve-

veſtem induere Plin. *libr.* 35. *c.* 7. *Deveſtire* etiam pro veſtem exuere dixit Apulejus *metamorph. libr.* 4. Feudum olim per poſſeſſionis traditionem accipiens ſingulari veſte induebatur, ut oſtendit Ludewigius *in form. ducat. Brandeburg. c.* 8. §. 4. Ita ipſa feudi traditio inveſtitura eſt appellata, & in monumentis ſequioris ævi ipſa poſſeſſio *veſtitura* dicitur *capit. libr.* 4. *c.* 34. Eodem pertinet, quod in conſuetudinibus feudalibus baronem dicitur *deveſtire* dominus, cum feudum ei adimit *libr.* 1. *t.* 7. & apud ſcriptores ſequioris ætatis *reveſtiri* dicitur, qui in priſtinam dignitatem reſtituitur, ut probat Struvius *in ſyntagm. jur. feud. c.* 8. *aphor.* 1.

V. In jure autem feudali communi in *propriam*, & *abuſivam* inveſtitura dividitur. Propria ea dicitur, qua vera fit feudi traditio per inductionem in poſſeſſionem. Abuſiva fit ſymbolis, vel fictio-

ctione aliqua, quæ ex communi hominum more traditionem designat. Hinc hasta a domino baroni tradita investitura facta scribitur *consuet. feud. libr.* 2. *tit.* 2. *princ.* Abusiva etiam investitura facta videbitur, si jussu domini baro in feudi possessionem ire jubeatur *consuet. feud. libr.* 2. *t.* 33. *princ.* Quemadmodum autem ex regulis Romani juris possessio tradita intelligitur, seu vera, seu ficta, seu symbolica traditio fuerit, id ipsum in investitura feudi obtinere debet. Igitur inepta quæstio doctorum est, an per abusivam investituram feudi possessio translata intelligatur. Sed apud nos usu hodie venire vix potest, ut ea de re disceptetur. Ut enim norunt rerum periti viri, feudorum possessio post *provisiones Cameræ*, quas appellant, auctoritate publica tradi solet.

VI. Uti autem frui rebus feudalibus barones debent intra investituræ terminos,

nos, & ipsius concessionis leges. Si qua de jure baronis controversia enascatur, ex ipsa investituræ formula res decidetur. In verborum tamen ambiguitate ita rem transigi oportet, ut a feudorum natura, eorumque jure ordinario quam minime recedatur. Si vero plures extent investituræ, præferri debet antiquioris auctoritas. In dubio enim posteriori investitura antiquior confirmata præsumitur, modo ne in posteriori Princeps voluntatem in contrarium declararit. Vide Molinæum ad *consuet. Parisiens. n. 76. & sequ.* & Rosenthal. *synops. jur. feud. c. 6. conclus. 69. n.* 19. Atque hic opportunum fuerit advertere, perperam scripsisse complures, in ambigua investituræ interpretatione contra Principem, ac pro barone respondendum. Primo enim ei sententiæ opponi potest, in obscuris, quod minimum est, sequendum *l. 9. ff. de reg. jur.* Deinde cum

in feudi concessione Princeps promissoris sit loco, aperte contrarius baroni est Celsus *in l. 99. princ. de verb. obligat.* Sic enim ibi jurisconsultus. *Quicquid astringendæ obligationis est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est; ac fere secundum promissorem interpretamur, quia liberum stipulatori fuit verba late concipere.* Igitur in re dubia si quid præter feudi naturam afferat sibi baro, id frustra contendet. Præter quam quod enim id omnino suadet argumentum ex prædictis legibus desumi solitum, decretorius in eam sententiam videtur vulgatus ille juris feudalis locus *libr. 2. tit. 2.* Sic enim ibi collector. *Præsumptio est pro domino, quod se contra feudi communem naturam non obligaverit.*

VII. His recte perpensis, facile erroris revinces Iserniam, eorumque putidum gregem, qui eum veluti vervecem se-

sequuntur. Is enim ad *c. unic. in quib. caus. feud. amitt. n.* 8. & 17. edicit, a barone servitium, nisi fuerit expresse promissum, præstari non oportere. Nam contra naturam feudorum est feudi franci constitutio: feudo enim inest, ut præstetur a barone servitium 2. *consuet. feud.* 7. Proinde cum feudum francum sit omnino degenerans, id constitutum intelligi nequit, nisi vassallum dominus a servitio expressim exemerit. Vid. Richard. Pollmann. *in thesaur. Jenich. de feud. franc.* §. 28. Imo cum in dubio dominus præsumatur rem suam in propriam naturam restituere velle, si feudum francum domino fuerit apertum, mox sine servitii mentione alteri id concesserit, ne ea quidem in specie feudum francum constitutum videri debet. Neque vero novus vassallus se tueri potest allegando, in superioribus investituris baroni servitium fuisse remissum. Ut

enim recte advertit Pollmannus *loc. cit.* hoc ipso videtur dominus in novissima investitura servitium sibi servasse, quod ejus immunitatem non memorarit. Illud contra Baldum Rosenthalio tantum concesserim, ad feudi franci constitutionem necessario non requiri, ut francum feudum concedi in investitura dicatur *synops. jur. feud. c. 2. conclus. 59. l. b.* Sat enim erit, ipsum servitium in investitura remitti.

VIII. Nondum Baldus, ac doctorum vulgus ab eo deceptum hinc abire me patitur. Is enim ad *l. 6. C. de condit. insert.* fidelitatis quidem præstationem feudi essentiæ inesse scribit, ab ea tamen necessitate feudum francum excipit. Addit etiam, feudo franco concedendo Principem non tantum utile, sed directum quoque dominium in accipientem transferre. Utrumque absurde dictum: alterum enim feudi substantiæ, al-

alterum juri publico adversatur. Quod enim ad primum, licet feudum francum servitio sit immune, eoque intuitu degenerans sit æstimandum, in ceteris tamen a propria feudi essentia non recedit, ut licet inferre argumento desumpto ex *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 48. Aliunde si feudum francum e necessitate fidelitatis eximas, & in accipientem ipsum dominium directum migrare ponas, ipsam feudalitatem statim destrues, nec feudi constitutio, sed simplex donatio inde conflatur. Quod igitur consuetudinum feudalium collector scribit *libr.* 2. *tit.* 24. §.1. feuda non deesse, in quibus fidelitatem præstari haud oporteat, ibi feudi vocabulo is abutitur: ea enim voce non feudi constitutionem, sed simplicem donationem intelligit. Nam, ut alibi ipse docet, si de vero feudo agatur, seu degenerans, seu rectum id fuerit, juramentum quidem

 fide-

fidelitatis remitti poteſt, fidelitas ipſa, ut conſtet feudi eſſentia, remitti nequit *conſuet. feud. libr.2. tit.47.* Conf. Chriſtoph. Hubner. *de feud. franc.* §.8. *in theſaur. Jenich. t. 2. p. 1.*

IX. Quod ad alterum, ipſum ſcilicet directum feudi franci dominium in accipientem transferri, ne id quidem, ſalva feudi ſubſtantia, admitti poteſt. Nimirum jus feudi aut in nudo prædio, aut in regalibus conſtituitur. Si in nudo prædio conſtituatur, haud ego inficias ierim, directum ejus dominium in accipientem a Principe transferri poſſe: verum ſi factum id fuerit, non feudum quidem, ſed ſimplex donatio, ut vidimus, conſtituta intelligetur. Nam ſine directo dominio in Principe feudum fingi non poteſt. Enimvero ſi feudum in regalibus conſtitutum ponas, ipſum jus publicum impedimento erit, quominus ejus directum dominium in accipientem mi-

migret. Nam sub unius imperio jura Majestatis in cujusquam directum dominium transire nequeunt, quicquid secus pertendat Montanus *de regal. in præl͡ud. n.*11. Ita sane jurisdictio, quæcumque fuerit concessionis formula, in directum accipientis dominium per Principem transferri non potest. Id autem non ob defectum potestatis in Principe, sed ob ipsam regalium naturam contingit. Jura enim Majestatis per subditos delibari non possunt. Nam Principatus ratio constare nequit, nisi ab uno regatur; inde vero si quid abscindas, vim ipsius resolves. Proinde licet aut jurisdictio, aut publica vectigalia, & alia Majestatis jura cuiquam in *francum allodium*, seu, quod aiunt, in *burgensaticum* concessa fuerint, in directum accipientis dominium ea non transferuntur. Neque regeras, in burgensaticum jurisdictione, aut vectigali concesso, di-

rectum ejus dominium per expressam Principis voluntatem privatis acquiri. Id enim eo tantum pertinet, ut recte advertit Franciscus de Andreys *in allegat. pr. fisc. conclus.* 9. *n.* 163. *apud Aget. ad Mol. tom.* 2. *illud non concedi in feudum, nempe ut non subjaceat oneri servitii feudalis, non ut ideo directum dominium transferatur in concessionarium, quod repugnat naturæ regalium.* His ita se habentibus, recte edicunt juris publici periti viri, in venditione regalium non dominium quidem, sed nudum eorum usumfructum emptori cedere; ea igitur potius jure pignoris possideri videri. Vide Limnæum *in notit. Regn. Gall. libr.* 2. *observat.* 5. *c.* 8. Inde autem inferre licet, publica vectigalia in *solutum*, ut dici solet, privatis per fiscum concessa pro arbitrio a Principe posse redimi: quod ego potissimum argumentum pro vectigalibus, aut publicis mune-

neribus per fiscum fortasse redimendis urgeri velim. Vide *jus Regni libr.* 2. *tit.* 1. §. 14. Enimvero quod jus quidem publicum, & ipsa ratio Principatus in Regno Neapolitano suadet, scripta etiam lege expressim cautum in Sicilia fuit. Anno enim 1448. generatim edixit Alfonsus, ut si qua feuda, vectigalia, aut alia Majestatis jura per fiscum alienata forent, pretio restituto, depositove per Principem, ad eum statim redirent *pragm. post bella. pag.* 107. *edit. Panorm. ann.* 1791. Sed, his omissis, de juramento fidelitatis a baronibus præstari solito paucis videamus.

X. Ubi baro feudi investituram acceperit, juramentum fidelitatis, nisi expressim remissum id fuerit, seu Principi, seu alteri inferiori domino ob suffeudum præstare debet. Juramentum autem fidelitatis homagium sequitur seu ligium, seu non ligium, prout ipsi Prin-

cipi,

cipi, aut inferiori dominò dictum sacramentum fuerit. Ejus vero juramenti formulam habes *in constit. domini a vassallis. de assecurat. domin.* Fidelitatis juramento præstando in jure feudali communi præfinitur annus, & dies *libr. 2. tit.55. princ.* Si intra præstitutum tempus id præstitum a barone non fuerit, is in causam commissi cadit, ac feudum amittit. Idem fidelitatis sacramentum dici per baronem oportet, quoties investituræ *renovationem*, quam vocant, fieri contingat. Nam & intra prædictum tempus sub pœna amittendi feudi fides jurato promittenda, seu quid humanitus contigerit directo domino, seu ipsi vassallo sit succedendum *consuet. feud. libr.2. tit.24. princ.* Sed is juris rigor in Regno non obtinet. Licet vero apud Siculos Alfonsus in casum commissi feudum venire jusserit, nisi intra annum, & diem novus possessor investituram pete-

te-

teret, & fidelitatis juramentum præstaret *capit.* 452. eam tamen investituræ petendæ necessitatem remisit Rex Joannes *capit.* 12. Ibi enim placuit, ut intra prædictum tempus tantum fidelitatis juramentum per barones præstari oporteret. At vero cum, inspecto jure feudali communi, liberis virilis sexus æque omnibus deferatur feudi successio, fidelitas tamquam individua ab omnibus in solidum jurato promitti debet. Vid. Rosenthal. *synops. jur. feud. c. 6. conclus.* 36. *n.* 1.

XI. Hæc ipsa in Regno ferme servantur hodie. Ut enim norunt rerum periti viri, seu ingredi in feudi possessionem baronem oporteat, seu renovationem investituræ facere, is apud *officium juramentorum ligii homagii*, quod vocant, fidelitatem jurare debet. Cum vero & ab hominibus feudi baroni sit præstanda fidelitas, apud prædictum officium

ab

ab universitate quoque per procuratorem fidelitatem jurari oportet. Ea autem in re severiorem se præstitisse Fridericum II. quis dicat *in constit. comite, vel barone*. Ibi enim ab eo cautum, ne quis ab hominibus feudi fidelitatis sacramentum sibi dici auderet, antequam ipse Principi fidem juraret. Si secus factum per baronem esset, ejus & feudum, & bona omnia publicari jussit. Sed sublesta per id temporis baronum fides Friderici severitatem excusat. Nam res fortasse novas adversus Principis Majestatem moliri credebantur barones, qui ab universitatibus extorsissent juramentum fidelitatis, quam ipsi Principi nondum jurassent.

TI-

TITULUS VI.

De feudorum præscriptione.

Alibi advertimus, feudum publici patrimonii delibationem esse. Id igitur sine privilegio, & investitura Principis rite constitutum videri nequit. Cum tamen & alienare videatur, qui præscribi patitur, disceptatum video, num & præscriptione possit feudum acquiri. Eam controversiam aliter ex jure feudali communi, aliter ex jure Neapolitano, ac Siculo complures ex foro scriptores definiendam putant. Secundum consuetudines feudales explorati juris passim existimant, per tricennii præscriptionem acquisitum videri feudum, si servitium domino a possessore sit præstitum. In eam sententiam allegari solet vulgatus ille locus *consuet. feudal. libr.* 2. *tit.* 26. §. 4.

Sic enim ibi collector. *Si quis per triginta annos rem aliquam in feudum possedit, & servitium domino exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, praescriptione tamen triginta annorum se tueri potest.* At ei collectoris effato aperte adversatur Friderici I. constitutio *consuet. feudal.* 2. 55. *princip.* In ea enim feudorum respectu praescriptio prorsus vetatur. Proinde qui inter doctores accuratiores existimantur, discrimen faciendum putarunt, num contra tertium aliquem, an contra fiscum praescriptio obtendatur. Altera quidem in specie annorum triginta, in altera vero centum tantum annorum praescriptionem admittunt. Vide Afflict. ad *consuet. feud. loc. cit.* & Rosenthal. *in synops. feud. c. 9. membr. 2. conclus. 97.* Sed ne his quidem ego sim credulus. Ut enim in praesenti praeteream, non pati jus Gentium, res publicas praescriptio-

ptioni subesse, Fridericus *loc. cit.* quod ad feuda, præscriptionem cujuscumque temporis possessori prodesse vetat, si quid inde in fiscum detrimenti sit rediturum. Inspecto igitur jure feudali communi, nulla temporis in feudis præscriptio adversus fiscum obtendi potest. Sed, quod magis interest, videamus, quid jure patrio ea de re placuerit, sive cum privatis, sive cum fisco sit controversia. Illud autem in antecessum hic moneo, quod de feudorum præscriptione hic disseremus, ad regalia generatim omnia extendi oportere.

II. Quod igitur ad feudorum inter privatos præscriptionem, communis ferme sententia doctorum est, jure seu Neapolitano, seu Siculo ea adversus privatos per præscriptionem acquiri posse. Tantum in eo dissentiunt, quanti temporis scilicet eam in rem possessio requiratur. Quidam regulis Romani juris uni-

unice innutriti ad feudi inter privatos præscriptionem satis esse autumant possessionem decennii inter præsentes, vicennii inter absentes. Conf.Montan. *de regal. in prælud. n.* 34. In jure municipali magis versati alii eam in rem ipsius tricennii possessionem exposcunt. Eam sententiam late tuetur ex Neapolitanis Afflictus ad *constit. consuetudinem pravam*, ex Siculis Antonius Cannetius Siciliæ, si superis placet, Papinianus ille ad *cap. volentes. pag.* 23. *& sequ.* &, qui ei præivit, Gvilelmus Pernus ad Regis Martini *capit. continua.* 57. Negari quidem haud potest, in ea constitutione Fridericum II. inter privatos in feudis præscriptionem tricennii obtinere jussisse, modo nil inde fiscus detrimenti caperet; id ipsum etiam confirmatum apud Siculos a Martino Rege *d. capit. continua.* 57. Quales sunt tamen apud nos hodie recepti mores, ego non

vi-

video, quo tandem modo ea Friderici constitutio vigorem suum obtinere possit. Nimirum ea lex scripta a Friderico fuit sub Romanæ jurisprudentiæ vix renascentis initia, libellos agente Petro de Vineis, qui nimio studio Romani juris fuerat abreptus, ut liquet ex constitutione *duram*, & *diram* eodem de argumento scripta. At ipse mox rerum usus edocuit, Romani juris de præscriptione regulas apud Neapolitanos, ac Siculos exequutioni mandari vix posse; eis saltem recepta fori sententia obrogavit. Sane si actor hodie feudi controversi concessionem sibi a Principe factam per investituram adprobet, reus vero tricennii præscriptione se tueatur, vix inveneris, qui reo litem addicat. Superest igitur, ut dicamus, inter privatos per præscriptionem feuda acquiri non posse. Quatenus vero jure patrio generatim admitti præscriptionem opor-

teat, sententiam meam dixi *in prælect. sub tit. de usucap. & long. tempor. præscript.*

III. Quod ad feudorum, aliorumve regalium præscriptionem adversus Principem ipsum, ea in re & prisca, & recens pragmaticorum natio causam fisci pessumdedit. Ii enim passim existimarunt, seu immemorabili, seu centum annorum præscriptione feuda, atque alia Majestatis jura acquiri posse, quodcumque fuerit possessionis initium. Conf. Afflict. ad *constit. quadragenalem. de prorogat. præscript.* & Cannet. ad *capit. volentes pag.* 28. Hinc in controversiis id genus cum fisco passim doctores possessorem monent, ne titulum, si quem habet, exhibeat, seque centum annorum præscriptione unice tueatur. Si enim, producto titulo, vitiosus revictus is fuerit, exturbandi e possessione detentoris jus fisco deferunt. Conf. Montan. *de regal.*

*gal. in prælud.n.*31. Ut autem evincant, possessione centum annorum seu feuda, seu alia Majestatis jura adversus fiscum præscribi, duo potissimum argumenta doctores allegare solent. Primum repetunt ex prædicta Friderici constitutione *quadragenalem*; alterum ex privilegio Caroli VI. Neapolitanis concesso *ann.*1720. Utrumque quam futile sit, paucis ostendam. Atque hic ignoscant mihi barones, si causam fisci ago. Nam, qui fiscum tuetur, publicam causam tuetur. Neque enim, ut dixit ille, *est pax sine armis, non arma sine stipendiis, non stipendia sine tributis*.

IV. Primo igitur pro feudorum præscriptione adversus Principem ipsum tuenda perperam produci solet Friderici constitutio *quadragenalem*. *de prorogat. præscript.* Neque enim in feudis, aut aliis Majestatis juribus quicquam ibi Fridericus innovat. Nam si lex isthæc penitius per-

pendatur, aperte liquebit, mentem ibi Friderici fuisse, fisco potius, quam privatis prodesse. Nimirum ex regulis Romani juris fiscalis fundi possessores quadraginta annorum præscriptione adversus fiscum tueri se poterant *l.* 14. *C. de fund. patrim.* Ei igitur legi Fridericus obrogans intra spatium centum annorum fiscale prædium vindicandi copiam fisco fecit: ea vero in specie centenaria tantum præscriptione fiscum repelli jussit. Nil ibi quicquam de feudis, ac reliquis Majestatis juribus Fridericus cavet haud existimans, cuiquam mortalium in mentem venire posse, ea præscriptioni subesse. Exploratum enim erat in jure civili, regalia adversus Principis Majestatem præscribi non posse *l.* 2. *C. ne rei domin. vel templ.* & *l.* 6. *C. de præscript. trigint. vel quadrag. ann.* Nam quod hic statuit Anastasius de publicarum functionum præscriptione vetita, ad

jura Majestatis omnia produci oportet. Atque hic manibus Marini de Caramanico gratulari lubet. Is enim in sæculo publici juris imperitissimo aperte docet, eam Friderici legem intra prædiorum fiscalium fines coercendam, neque ad publicas functiones, tributa, & reliqua regalia extendi oportere *in gloss. ad d. constit. quadragenalem. l. b.* Facile etiam refelli potest ea in re argumentum desumptum ex privilegio concesso Regni baronibus *ann.* 1720. Eo enim contra jus publicum processit Carolus VI. ad eorum animos sibi conciliandos, ut Regni possessionem detinere pergeret, quod ex Caroli II. testamento ad augustissimum Philippum V. serius ocius redire oportebat.

V. Ceterum num feuda, & reliqua Majestatis jura privatis cedere per præscriptionem possint, non ex pragmaticorum lacunis, sed ex juris publici regu-

lis definiri debet. Inspecto autem jure publico perperam quis asseruerit, regalia præscriptioni subesse. Nimirum, ut evici *in prælect. tit. 6.* §. 2. duplex præscriptio distingui debet, altera jure civili, altera jure Gentium introducta. Conf. Christian. Thomas. *jurisprud. Divin.* 2. 10. Præscriptionis jure Gentium introductæ fundamentum est tacita derelictio consensu Gentium præsumi solita adversus eos, qui neque vi, neque clam, neque precario res suas ab aliis diutius possideri sinunt. Contra præscriptionis jure civili institutæ fundamentum est pœna adversus eos indicta, qui in rebus suis negligenter versantur, neque de ipsis reciperandis cogitant. Neutra tamen præscriptio adversus Principem obtendi potest. Non ea quidem, quam ex jure Gentium repetendam diximus: neque enim inter diversas Gentes, sed inter Principem, ac subditos lis agi po-
ni-

nitur. Eo accedit, quod tacita illa derelictio hic fingi nequit. Nam supra ex jure civili evicimus, & mox ex patrio jure liquebit, expressim vetuisse Principes, ne jura Majestatis præscriptioni subsint. Præsumpta autem derelinquendi voluntas frustra allegatur, ubi de expressa Principis in contrarium voluntate constat. Multo minus feuda, aut alia regalia vindicanti Principi præscriptionem ex jure civili profectam licet opponere. Ea nimirum, ut vidimus, ad coercendam civium negligentiam introducta fuit. At monstrosum in Civitate foret, Principem ipsum coercitioni subjicere; ita vero pœnæ nomine eum publico privare dominio, cujus beneficio privatum dominium sustinetur. Vide omnino eumdem Thomasium *tom.* I. *dissert.* 28. *c.* 3. §. 3. His igitur recte perpensis, non minus cum jure publico, quam civili, ac patrio censenda est convenire provi-

dentissimi Ferdinandi definitio, qua declaratum, regalia adversus Principem præscribi non posse *in collect. Reg. liter. tit.* 3. *lit.* 4. *& sequ.* Si vera hæc fuerint, Princeps non minus in jure civili, ac patrio, quam in ipso jure Gentium fundatam intentionem habet, in ipsius demanium redintegrandum, si quid quispiam sine investitura jure feudi possidere se dicat. Is igitur conventus possessione recte privabitur, nisi titulum concessionis edat, ac frustra vel centum annorum præscriptionem opponet. Nimirum qui qualitatem feudalem allegat, in rem alienam sibi jus asserit. Ejus igitur concessionem ipse adprobare debet *arg. l.* 10. *C. de servit. & aqu.* Aliunde ipsi pragmatici non diffitentur, quoties juris præsumptio pro actore militat, ab ipso reo titulum possessionis edendum. Vid. Hartman. Pistor. *quæst. jur. libr.* 2. *quæst.* 46. *n.* 7. *& sequ.*

TI-

TITULUS VII.

De baronum baliatu, & nuptiis.

QUi tutelam, curationemve baronum seu impuberum, seu minorum gerunt, cum in Regno Neapolitano, ac Siculo, cum passim in Europa alibi *balii* appellantur. Origo vocabulo e *bajulo* est. Bajulus enim apud scriptores sequioris ævi puerorum est custos; negotiorum etiam gestor, & administer, ut ostendit Ducangius *in voc. bajulus*. Indidem & *baliatus* vocabulum, quo baronis seu impuberis, seu minoris tutela, vel curatio designata fuit. Hinc intelliges, cur baliatus apud infimæ Latinatis scriptores *bajulia* etiam dictitetur, ut sequioris ævi monumentis ostendit idem Ducangius *in voc. bajulia*. Institutum autem baliatus primum in-

invaluit, ubi perpetuitas feudis accessit, eorumque successio liberis delata fuit. Enimvero licet hodie balii tutorum, & curatorum fungantur officio eorum respectu, qui feuda quaternata possident, ipse baliatus tamen in primæva institutione sua causas a tutela, & cura longe diversas habuit. Norunt scilicet ipsi dupondii, tutelam, & curam unice instituisse leges ad tuendum eos, qui propter ætatis, aut consilii infirmitatem tutari per se res suas haud possent. Aliæ baliatus instituendi fuere causæ, atque in eo potius ipsorum Principum, & fisci compendia respexere leges. Id & vidit Montesquieus, & scite, sed raptim pro more suo is indicat *espr.* 31. 33. Juvabit igitur rem celeberrimi usus tantisper latius enarrare.

II. Quod igitur ad baliatus initia, in primævo feudali instituto ipsa veluti feudorum natura suasit, ut ad ipsum Princi-

cipem pertineret. Constat scilicet, reditus feudorum olim tamquam militiæ stipendium percepisse barones. Ii si fato cessissent, a filio seu impubere, seu minori militare servitium præstari non poterat. Ita apud omnes ferme Gentes, apud quas recepta sunt feuda, quamdiu in minori ætate barones forent, ea in Principis usumfructum redire placuit, ut militare servitium sibi per alios præstari curaret, donec eam ætatem egressi barones militiæ munus ipsi capesserent. Id ipsum tamen molesti laboris Principibus erat, cum tot baliatibus distraherentur. Proinde ut ea cura se exolverent, viro navo, & industrio baliatum demandare solebant, qui seu per se, seu per alium præstaret militare servitium; in laboris tamen suscepti pretium totum feudi usumfructum ipse perciperet, eo dempto, quod arbitrio boni viri liberis denati baronis alendis sufficere crederetur.

III.

III. Prædictum autem institutum, quo baliatum baronum vel sibi retinebant, vel aliis demandabant Principes, cum passim alibi, cum potissimum in Nortmannia receptum. Hinc rerum potitus apud Anglos Wilelmus iisdem sub legibus in Angliam baliatum intulit. Primum enim Henricus eo prognatus baliatum legitimum apud Anglos instituit, eumque proximis baronum cognatis deferri jussit, ut liquet ex Matthæo Parisio *in Henrico I. pag.* 38. *edit. Parisiens.* Idem Henricus baliorum aviditatem lege coercuit. Ab eis enim ex feudi reditibus tantum servitii militaris pretium passus est delibari: quod inde superesset, ipsorum minorum compendiis applicari jussit, eoque nomine reddendis rationibus eos fecit obnoxios, ut ex eodem Matthæo Parisio constat *pag.* 178. Quod ad tempus autem baliatus fœminas inter, & masculos, veteri Nort-

man-

mannorum jure discrimen erat. In masculis enim ad annum usque vicesimum extendebatur, ut liquet ex legibus Normannorum *c.* 32. Ea enim apud Nortmannos ætate adolescentes armis sufficere credebantur, ac per se militiam tolerare posse. In fœminis vero baliatus desinebat, ubi decimum quartum annum excederent. Id inde factum, quia ea ætate nubentes per viros ipsos feudale servitium præstare posse videbantur, Vid. Ludewig. *de ætat. legit. puber. & minor. c.* 3. §. 7.

IV. Quod ad Regnum Neapolitanum, ac Siculum, Rogerius I. aut, quod probabilius ego putarim, ipse Robertus Guiscardus morem Gentis suæ sequutus baliatum in provincias bello partas invexit iisdem ferme sub legibus, quas ei Wilelmum apud Anglos præstituisse monuimus. Exploratum est enim, Nortmannorum instituta quamplurima apud Nea-

Neapolitanos, ac Siculos Robertum confirmasse. Id sane evincunt ipsi ferocientes barones apud Hugonem Falcandum in vita Gvilelmi I. ubi restitui exposcunt consuetudines, *quas avus ejus Rogerius comes a Roberto Guiscardo prius introductas observaverit, & observari præceperit*. Sed eam in rem decretoria mihi videtur Friderici II. constitutio *in aliquibus. de succession. nobil. in feud.* Ibi enim Fridericus ex veteri Nortmannorum jure baliatum impuberum, ac minorum Principi asserit vel ab ipso, vel ab alio exercendum *juxta approbatam Regni consuetudinem*. Quæ sane verba satis ostendunt, veterem apud nos eam fuisse legem, & cum ipso Nortmannorum adventu in Regnum illatam. Sed videamus, quibus legibus in provinciis Neapolitanis, ac Siculis baliatum Fridericus subesse jusserit, & quid novissimo Regni jure in eo argumento placuerit.

V.

V. Quod igitur ad Friderici de baliatu leges, is, antiquiſſimo feudali jure, & inſtituto Nortmannorum præſertim apud Neapolitanos, ac Siculos confirmato, inter jura Majeſtatis baliatum referri juſsit, eumque vel ab ipſo Principe geri, vel aliis demandari *conſtit. in aliquibus. de ſucceſſ. nobil. in feud.* Is tamen tot negotiis in Europa diſtractus baronum baliatum plerumque aliis demandabat. Enimvero vetuſta illa conſuetudine abuſi balii, decerptis ex reditu feudorum modicis alimentis impuberi, aut minori præſtandis, ac ſervitii pretio fiſco perſolvi ſolito, fructus feudorum omnes ſibi vindicabant, neque geſti baliatus rationes reddebant. Proinde ne quid eam ob rem pupilli detrimenti caperent, rem totam Fridericus accuratius definivit *in conſtit. minoribus. de jur. bal.* Is enim ibi, impuberum, ac minorum favore intra tutorum ferme, cu-

curatorumve leges baliis redactis, eos reddendis rationibus subesse jussit; *ita videlicet, quod deducto eo, quod Curiæ pro ipso balio, prout moris est, dederit, nec non deductis justis, & moderatis expensis, quas pro victu, & vestitu suo, & quas in persona, aut rebus pueri, vel pro servitio debito Curiæ nostræ de his, quæ minor tenet, ipsum balium fecisse constabit, reliqua pupillo integre reddere teneatur*. Ea vero Friderici lege apud Neapolitanos, ac Siculos tutoribus, & curatoribus in omnibus ferme æquati sunt balii. Inter utrosque id potissimum interest, quod ob tutelæ, vel curæ gestionem nullum jure ordinario salarium peti potest. Verum ex prædicta Friderici lege balii salarium recte petunt.

VI. Quod ad finem autem baliatus, secundum Friderici leges intererat fœminas inter, & masculos. Fœminæ enim ob causam supra memoratam post annum

num decimum quartum expletum baliatu ſtatim liberabantur. Contra maſculi annum tandem viceſimum quintum egreſsi e poteſtate baliorum exibant, ut iterato monuit Marinus de Caramanico ad *conſtitut. minoribus*. Is autem, qua juriſprudentia fuit, neque Friderici mentem, neque receptam in foro conſtitutionis Fridericianæ ſententiam ignorare poterat. Proinde juris ignorantiam prodit ſcriptor *pragmat.* 2. *de minor.* Ibi enim is docet, inſpectis Regni conſtitutionibus, qua in fœminis, qua in maſculis poſt ætatis annum decimum quartum baliatum æque finiri; eum vero errorem is hauſit ex præpoſtera per id temporis fori praxi, quam & hodie apud Siculos obtinere comperio. Utcumque id fuerit, barones in Regno Neapolitano hodie utuntur cum burgenſibus æquo jure, &, anno decimo octavo confecto, baliatu liberantur. Id tantum intereſt

masculos inter, & fœminas, quod hæ potestate balii eximuntur, si ante decimum octavum annum enubant *d. pragm.* 2. *de minor.*

VII. Porro vetustissimo jure apud Neapolitanos, ac Siculos balium ab ipso Principe eligi oportebat, seu intestatus, seu cum testamento decessisset baro *constit. minoribus. de jur. bal.* Quod ad Regnum Neapolitanum tamen Carolus II. rem ferme redegit intra regulas Romani juris *in capit. feudatarius decedens.* Ibi enim ab eo cautum, ut, si baro cum testamento decederet, quos vellet, balios constituere testamento posset. Sin intestatus obiret, balium ex propinquis jussit per Curiam eligi, qui magis idoneus videretur. Matrem tamen præferendam edixit, si se secundis nuptiis non funestaret. Id ipsum ferme Siculis jure novo concessum. Primo enim a Rege Jacobo cautum, ut, intestato obeunte baro-

rone, si feudum profectum esset ex patre, proximus ex paterno latere in baliatu per Curiam præferretur; sin provenisset ex matre, præferretur proximus ex materno latere *capit.* 32. Sed & ulterius ea in re processit Alfonsus *in capit.* 388. Is enim apud Siculos in baliatu præferri jussit, qui in tutela burgensium alias præferrentur; balios vero, seu ex testamento, seu ab intestato ipsis baliatus competeret, gestionem suscipere, jussu, & confirmatione Curiæ non expectato. Ex ea igitur Alfonsi lege a tutela, & cura baliatus non differt, ac tutoribus, & curatoribus fere in omnibus æquati sunt balii. Atque hæ quidem vices apud Neapolitanos, ac Siculos baliatus fuerunt.

Quantum ævi longinqua valet mutare vetustas!

Sed, quod polliciti in rubrica sumus, de baronum matrimonio pauca delibemus.

N 2 VIII.

VIII. Matrimonium baronum cum ipsorum baliatu jungendi occasionem mihi præstat ipse Fridericus II. *in constit. in aliquibus*. Ibi enim, asserto sibi baliatu filiarum baronis impuberum, eas se matrimonio collocaturum edicit, ubi annum decimum quartum excederent; qua quidem ætate fœminarum baliatum per id temporis finitum ostendimus. De baronum autem matrimonio hic acturi prolixi quidem haud erimus. Cui enim non dictus Hylas? Exinde pauca tantum hic exhibebimus, quæ rectæ juris feudalis intelligentiæ lucem queant affundere.

IX. Inter mali exempli instituta per sequiorem ætatem passim recepta & illud invaluit, quod alibi novæ nuptæ in prima nuptiarum nocte per barones prægustandæ forent, nisi turpi tributo *marchetæ* ea ignominia se virgines redemissent Ducang. voc. *marcheta*; alibi Ci-

vitatum domini alienis liberis deligendorum conjugum ſibi jus vindicarent. Hinc quibuſdam Civitatibus privilegii loco conceſſum, ut earum civibus pro arbitrio liceret, quam vellent, liberis conditionem quærere. Ita quidem in charta Richardi comitis Pictavienſis pro Rupellenſibus apud Beslium *pag.* 600. *Præterea ipſis conceſſi, quod, ſi ipſi inter filios, & filias ſuas, & mulieres viduas matrimonia contrahere voluerint, ego eis nullam inferam violentiam, &, ſi quis ſuper hoc in eis manus mitteret, ipſi ſine occaſione ſe defenderent.*

X. Enimvero ubi, declinante in Europa barbarie, civium jura primæva in integrum ſunt reſtituta, humaniorem ea in re mentem induere Principes, & paſſim matrimonii libertas ſeu moribus, ſeu ſcriptis legibus redintegrata fuit. Verum ut ut reſpectu privatorum hominum id æquiſſimum videri poterat, quod ad

 ba-

barones tamen intra modum coerceri oportebat. Sane politica per ea tempora constitutio, & ipsa ratio Principatus suadere videbatur, ne pro arbitrio barones sibi, liberisve suis conjugem quærerent injussu Principum. Nimirum ad sæculum ferme decimum quintum usque hodiernum militem mercenarium non aluere Principes, ac vis armorum penes barones erat. In eorum igitur militari potentia periculum Principi creari poterat, si qui barones ei suspecti affinitate conjungerentur. Necessitas autem assensus Principis impetrandi in baronum nuptiis potissimum apud Nortmannos obtinuit. Hinc in charta Philippi Augusti ann. 1220. apud Duncang. *voc. maritagium* libertas quidem matrimonii Cadonensibus indulgetur, eo jure tamen vetiti sunt ii uti, *qui feudum tenent, propter quod debemus maritare secundum usum, & consuetudinem Nortmanniæ*. Constat igi-

igitur, apud Nortmannos sine venia Principis nuptias sibi, suisve barones conciliare non potuisse.

XI. Porro nemo unus ignorat, sæculo undecimo per Wilelmum Nortmanniæ Ducem Angliam, per ipsius subditos provincias Neapolitanas, ac Siculas bello subactas. Ita veteres Nortmanniæ mores eodem ferme tempore in diversas terrarum partes longe inter se dissitas per Nortmannos illati. Quod ad Anglos autem, ea de re late Cowellus *libr.* 2. *tit.* 3. Lubet tamen hic exhibere chartam Henrici III. Regis Angliæ ex Gvilelmo Prynneo *in libertat. Anglic. tom.* 2. *pag.* 602. *Cum per experientiam didicimus, quod complures dominæ Regni nostri, spreta securitate, quæ per legem, & antiquam consuetudinem capi solet, & debet ab iis, ne se maritari permitterent sine consensu, & voluntate nostra, non requisito super hoc nostro as-*

 sen-

ſenſu, unde tam nobis, quam coronæ noſtræ & damnum, & opprobrium emerſerunt, vobis mandamus firmiter injungentes in fide, qua nobis tenemini, quatenus ſine dilatione a Margeria ſorore quondam comitis Warwicenſis, & caſtrum habet ingentis fortitudinis, pro quo nobis nullatenus expediret, quod aliquem in virum acciperet, niſi de ipſo, tamquam de nobis, confiderem, caſtrum de Warwic, & de terris ſuis, quas ipſi eligetis, in plegium capiatis præter ſecuritatem debitam, quod ipſa nulli viventium ſine licentia noſtra in matrimonium copulabitur: ita quod ſi contra hoc feciſſet, caſtrum prædictum, & terræ ſimiliter in plegium captæ nobis perpetuo, & heredibus noſtris incurrantur.

XII. Quod ad provincias Neapolitanas, ac Siculas, ſtatim ſub initia Nortmannici Principatus eo quoque reſpectu patria ſua inſtituta in eas intulere Nortman-

manni. Id ipſum tamen ſub primis Nortmannorum dynaſtis moribus potius ſtetit, quam ſcripta lege. Sane in conſtitutionum libris ne Rogerii quidem ea de re ulla lex extat; exploratum eſt tamen, per ea tempora ſine aſſenſu Principis baronum nuptias confieri non potuiſſe. Id jus Majeſtatis ſeverius quidem exercuit Gvilelmus I. ac tumultus Siculi adverſus eum per barones exciti potiſſima cauſa ea fuit, ut conſtat ex Hugone Falcando *in hiſtor. Sicul.* ipſius Gvilelmi tamen de baronum nuptiis injuſſu Principis non ineundis nulla lex generalis produci poteſt. Neque enim conſtitutio *fratribus. de fratr. obligant. part. feud.* in baronum nuptiis Regis aſſenſum generatim præſcribit. Ibi enim tantum edicitur, ut barones neque obligent, neque dotis nomine feudum ſorori tradant, neque dotarium in eo conſtituant, niſi bona cum Regis gratia nuptiæ contrahantur.

tur. Mores igitur ita receptos primus lege ſcripta firmavit Fridericus II. eoſque aut extendit, aut exoleſcentes fortaſſe ſeverius reſtitutum ivit. Eam autem in rem binæ ejus extant conſtitutiones ſub rubrica *de uxor. non ducend. ſin. permiſſ. Cur.* Prima edicit, ne quis baronum feuda quaternata poſſidens ſine venia Principis aut uxorem ducat, aut liberos, alioſve a ſe pendentes matrimonio collocet, contraria conſuetudine aboleri juſſa, quæ in aliquibus Regni partibus valeſcebat *conſtit. honorem noſtri diadematis*. Altera ultra progreditur, ac periculum ex matrimoniis cum alienigenis iniri ſolitis ſibi imminens Fridericus arcere ſtudens ſine expreſſo ipſius conſenſu nuptias cum exteris iniri vetat; licet in ſpeciem aliam cauſam ejus prohibitionis afferat. Si quis ſecus faceret, bonorum omnium publicatione crimen luere jubet *conſtit. cum hereditarium*.

Utrum-

Utrumque & jus vetus in Regno fuit, & ipsa ratio Principatus per ea tempora necessario flagitabat. Jam inde enim duces præsertim Itali clarescebant, qui conductitiis suis militibus periculum Friderico facessere poterant; si cum Neapolitanis, aut Siculis affinitate conjungerentur. Id non intelligens ineptus ille monarcha juris Friderici memoriam perperam insectatur, quasi is obliqua via matrimonia prohibuisset *instituta a Deo in Paradiso* ad *d. constit. bonorem nostri diadematis*. Jura igitur Majestatis cum ipsius periculo prodidit Carolus II. ubi cum barones, cum generatim in Regno alios jure liberi connubii uti jussit; ac Regis tandem assensum in matrimoniis obtinendum edixit, ubi aut feuda, aut res feudales in dotem darentur *capit. item statuimus, quod licitum sit baronibus*. Id ipsum in Sicilia cautum a Jacobo Rege *capit.* 22. Sed ea

de

de re plura desino. Nam in tanta hodie subditorum erga Principem fide enarratum jus Majestatis ferme interquiescit, aut certe connivet, nisi singularia rerum adjuncta secus suadeant.

Finis libri primi.

U.J.

U.J.D. D.Joseph Gargano Regius Consiliarius in hac Regia Studiorum Universitate Professor Juris Feudalis revideat autographum enunciati operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat, potissimum, si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directa transmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die III. Mensis Septembris 1791.

FR. ALB. ARCH. REGINUS CAPP. M.

S. R. M.

Felices, Domine, Civitates arbitror, quibus sapientes obtigerunt legum conditores: feliciores adhuc illas putarim, apud quas viri solidioribus studiis, & Civili Philosophia imbuti leges ipsas interpretantur. Ut ut enim leges recte sint scriptæ, non desunt tamen, qui earum verba, & sensus calumniari adnitantur, & Civium fortunas, ac Reipublicæ caussam pessumdare. At optime de Principe, & Civitate meruit Marinus Guaranus ætatis nostræ decus, & ornamentum, cum in aliis suis operibus, cum *in Jure Feudali Neapolitano, ac Siculo* extricando, de quo judicium mihi demandatum. In eo sane difficile definire fuerit, num singularis illa scribendi ratio,

tio, an rara Juris Feudalis ſcientia cum publicæ cauſæ defendendæ ſtudio conjuncta ſit præferenda. Cum igitur ex hoc opere emolumentum maximum & in Juriſconſultos, & in Civitatem ipſam ſit rediturum, ſtatim typis evulgandum cenſeo, ſi Majeſtatis tuæ juſſus acceſſerit. Neapoli pridie Idus Septembres anni 1792.

Numini, Majeſtatique tuæ

Devotiſs. & Obſequentiſs.
Joſeph Garganus.

Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 28. Octobris currentis anni, ac relatione Regii Conſiliarii D. Joſeph Gargano de Commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris Ordine præfatæ Regalis Majeſtatis &c.

Die 5. menſis Novembris 1792. Neapoli.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem, facta iterum reviſione, affirmetur, quod concordat ſervata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica; hoc ſuum.

TARGIANI. PECCHENEDA.

Vidit Fiſcus R. C.

Paſcale.

Izzo Canc.

Reg. fol.

Ad-

Admodum Rever. Dominus D. Gabriel Somma S. Th. Professor revideat, & in scriptis referat. Die 27. Septembris 1792.

P. EP. TRAN. VIC. GEN.

JOSEPH ROSSI ARCH. NICOSIENS. CAN. DEP.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

JUra feudorum sat involuta, si minus ob proprias ambages, certe quatenus res patrias spectant, jamdiu expetebatur, ut doctiori manu extricarentur. Id autem egregie præstitit auctor operis inscripti *Jus Feudale Neapolitanum, ac Siculum*, quod libentissime legi: vi enim sui ingenii ad quodcumque jus illustrandum vere facti ex tenebricosis juris feudalis fodinis supellectilem opportunam extrahit, quam dein bene digestam selecto verborum apparatu exornat. Itaque haud facile discernas, utrum raræ auctoris scientiæ, an dictionis elegantiæ primatus sit addicendus. Cumque in laudato opere nihil offenderim, quod Fidei, aut Honestatis integritatem lædere valeat, e re fore censeo, si publice statim edatur. Dabam Neap. Kal. Octobris 1792.

Eminentiæ Tuæ

Venerationi, ac observantiæ devotissimus
Gabriel Somma.

At-

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 30. Octombris 1792.

P. EP. TRAN. VIC. GEN.

JOSEPH ROSSI ARCH. NICOSIENS. CAN.DEP.